Franz

Rossini Martini

DE LA

LUXATION TRAUMATIQUE

DE LA PHALANGE UNGUÉALE

DU GROS ORTEIL

PAR

Le Dr Fernand CASTELAIN

ancien interne des hôpitaux de Paris.

LILLE
IMPRIMERIE DE LEFEBVRE-DUCROCQ
rue Esquermoise, 57

1870

RASORII DOCTRINA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM SCRIPSIT ET

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XV. MENS. MARTII ANNI MDCCCXXXIII

PUBLICE DEFENDET

IOANN. CHRISTOPH. AUGUST. FRANZ

DRESDANUS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIAE,

Ex Officina Breitkopfio-Haerteliana.

MDCCCXXXIII.

1833

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

IACOBO TOMMASINIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI
UNIVERSITATIS BONONIENSIS PROFESSORI
IN SCHOLA CLINICA BONONIAE MEDICO PRIMARIO
etc. etc. etc.

HOC OPUSCULUM SACRUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Opinionum commenta delet dies, experientiam et naturae judicia confirmat.

CICERO.

PROOEMIUM.

Quo magis admiratus eram eximiam tartari stibiati dosin pneumoniis adhibendam efferri laudibus; eo majore, quum paulo post praestantiam hujus medicamenti cognoscendi mihi oblata esset occasio, revera gaudio sum affectus. Quam ob rem operam navavi, ut hanc methodum ab aliis medicis exquirerem eamque accuratius intelligerem. Tantum tamen abfuit, ut multi medici universum systema quemadmodum a Rasorio, Tommasinio aliisque prolatum est, clare et plane exposuerint, ut hanc methodum in pneumoniis tantum praedicaverint. Hinc factum est, ut cum necessitas scribendi officium mihi imponeret, hoc totum systema, parum apud nos cognitum describendum eligerem, qui labor utilitatis minime expers esse videtur, cujus tamen pensi suscepti difficultas haudquaquam me fugit, imprimis cum viri illi, qui hanc novam methodum in operibus suis tractaverint, neque totam amplexi sint, neque in partibus inter se congruant. Pro viribus sententias

Tommasinii, huc spectantes, Viri Excellentissimi et mira ingenii sagacitate praediti, qui de nova hac doctrina prae caeteris bene meritus est, aliorumque virorum colligere atque explicare studui.

Ut etiam rationem exhibeam, quam in elaborando hocce libello secutus sim, generatim hic indico, primum me principia hujus doctrinae paulo altius ex ipsis scriptoribus antiquis repetiisse, nec non, cum in Brownianismo jam aliquatenus exculta viderentur, hujus etiam lineamenta in primis scriptiunculae meae paginis adumbrasse; deinde Rasorii sententias et praecepta, quibus summa novi systematis continetur, exposuisse; denique quamnam vim inde ab antiquissimis temporibus coelum, terra atque res ab hominibus gestae in medicinae rationem ac formam variarumque medendi viarum inventionem habuerint, ostendisse ac primaria, quae nunc in Francogallia, Italia et Germania floreant, systemata obiter inter se comparasse.

Sub finem enixe rogo lectores, ut mihi, si exspectationi ipsorum non satisfecerim, veniam habere, vilitatemque opusculi mei et errores, quibus timeo ne abundet, benevole condonare velint, quam indulgentiam si impetravero, polliceor, me quae serius ex itinere in Italiam quoque facto reversus, de eadem re publici juris facere in animo est, ut sint et meliora et emendatiora, oppido curaturum esse.

CONSPECTUS.

SECTIO PRIMA.

Historia.

§. 1.

Quod jam acutissimo **Aristotelis** ingenio tanquam axioma videtur esse obversatum — ait[1]) enim „τὰ μὲν γὰρ φύσει ὄντα πάντα φαίνεται ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως" — id quidem omnium primus **Glisson** protulit, et fuse lateque demonstrare studuit[2]). Scilicet putavit, omni materiae energeticam subsistentiam inhabitare oportere vel naturam, quae motionis principium contineat; quodcunque vero per se ipsum et per internas vires sese moveat, hanc etiam motionem percipiat ac postulet necesse esse. Hacce argumentatione usus est **Glisson**[3]), ut fibrae musculari peculiares vindicaret vires, quas jam irritabilitatem nominavit; statuitque hanc seu illas vires peculiares motione, perceptione atque appetitu sese manifestare. Perceptionem, quae ad sensationem omnino posset intendi[4]), cum hac ipsa neutiquam permutandam, fibras reddere irritabiles; appeti-

1) Physic. Lib. II., C. 8., p. 470. Ed. Par.

2) De natura substantiae energetica, seu de vitae natura. p. 4. Londin. 1672.

3) De ventriculo et intestinis. C. 7. Amst. 1677.

4) ib. p. 173.

tum vero excitare perceptionem[1]): atqui vitam in actione passioneque constare, ergo in viribus mutuis seu reciprocis[2]).

Antonius Pacchionius contra voluit, omnem totius corporis perceptionem motionemque e durae meningis motu esse ducendam, ejusdem vim ad cerebrum et idcirco ad nervos quoque ab eo aberrantes redundare[3]).

§. 2.

Has duas theorias ac Leibnitzii Monadologiam[4]), inter omnes notissimam et, ut videtur, cum aliquot Glissonis ideis ex parte congruentem, Fr. Hoffmannus ad unam mechanico-dynamicam rationem redegit. Principia hujus rationis sunt haec: corpus humanum, sicuti omnia corpora, praeditum est materiae viribus, quarum ope suas ciet motiones[5]); causa omnium motuum in ipso animo, utpote qui affici potest, nec non in materia subtilissima, levissima atque efficacissima, quam vocabat aetherem (ἐνορμῶν Hippocratis, seu πνεῦμα Thessali et Draconis), quaeri debet[6]); haecce materia ex atmosphaera a sanguine hausta, in cerebrum translata et in eo praeparata, inde una cum nervorum succo systoles ac diastoles durae meningis ope aequabiliter per totum diffunditur corpus, cujus quidem actiones motionesque unice illi materiae tribuendae sunt[7]); perceptio quoque e subtili illa oritur materia, cui, quod etiam Leib-

1) ib. C. 8., p. 180.
2) De natura substantiae energetica. p. 240 — 245.
3) De durae meningis fabrica et usu. p. 4—8. Rom. 1701.
4) Opera omnia. Vol. II. p. I. et Vol. III. Genev. 1768.
5) Opp. Vol. I., p. 97. — De differentia organismi et mechanismi. p. 38.
6) ib. p. 48. 67.
7) ib. p. 85.

nitzius de monadibus docuit, et percipiendi et agendi inest facultas [1]). Itaque vitam dixit perpetuo motu constare praecipue cordis, quoniam a sanguine illam materiam seu aetherem continente incitetur [2]). Jam vero justus motus secundum Fr. Hoffmannum valetudo est bona, quum vero a norma aberrat, exoritur morbus, illo enim adaucto, vult spasmum universalem, ad quem febrem, phlogosin etc. refert, vel partialem, vel convulsiones; imminuto contra, fieri atoniam, cui omnes morbos chronicos e. g. cachexias adscribit [3]). Tandem spasmi ex ejusdem sententia in atoniam possunt transire [4]).

§. 3.

Jam per dimidium saeculum obtinuerat illa Fr. Hoffmanni ratio, atque eo plures viri docti in ejus sententias abierant, quo magis cum ipsis etiam Halleri de irritabilitate doctrina congruebat. Haec vero multis experimentis confirmata probavit, irritabilitatem, de qua jam Glisson exposuerat, fibrae musculari tantum inesse; nervos vero, etsi fibrae irritabilitatem non vere gignere sed servare tantum possint, insuper singularibus viribus esse praeditos, quarnm ope percipiant ac musculorum motus provocent et regant, atque ita irritabilitatem sibi quasi subjiciant, quamquam ab ipsa dependeant [5]).

Cum vero magis magisque intellectum esset, vitam ipsam nec non omnes morbos Fr. Hoffmanno duce nimis mechanice expositos, et secundum Hallerum ir-

---

1) Opp. Vol. I., p. 89.
2) ib. p. 52.
3) Opp. Vol. III., p. 302 — 306. et Vol. I., p. 164.
4) Opp. Vol. I., p. 169.
5) Comment. soc. Gotting. Tom. II., p. 114 — 154. Mémoires sur la nature sensible et irritable des parties du corps animal.

ritabilitatem a nervorum viribus ac vice versa nimis sejunctam esse; non defuerunt, qui studerent, illorum virorum sententias inter se magis conjungere. Wilh. Cullenius[1]), qui generatim Hoffmannum secutus etiam principium vitale materiae tribuit; Sam. Musgravius[2]); Jac. Gregoryus[3]); Joseph Gallius[4]) etc. hac de re jam elaboraverant multa, quae postea Joh. Christ. Reilius a se ipso aucta atque exculta in ordinem redegit. Is quidem statuit, unicam vim principalem ubique regnantem, quam in corpore animali nominabat organicam, in nervis esse sensibilitatem spontaneitate praeditam; in fibris vero, in quibus minus quam in illis praevaleat, irritabilitatem motus animales cientem; atque ab utriusque vigore dependere vegetationem. Sensibilitatem aliquatenus per se ipsam concitari; irritabilitatem contra per stimulos externos, qui, ab hac ipsa ad illam propagati, efficiant sensationem. Jam organismum, quoad stimulis affici possit, uti receptivitate; quoad vero per ipsos ad motum sollicitetur, reactione vel energia. Denique organica substantia perperam mixta vel formata, exoriri morbos qui laesa sensibilitate, irritabilitate vegetationeque sese prodant[5]).

---

1) First lines of the practice of physic. Vol. I., p. 32. Edinb. 1782.

2) Speculations aud conjectures on the qualities of the nerves. Lond. 1776.

3) Conspectus medicinae theoreticae in usum academicum. Vol. I. II. Edinb. 1782.

4) *Philosophisch-medicinische Untersuchungen über Natur und Kunst im kranken und gesunden Zustande des Menschen. Bd I. Wien,* 1791.

5) *Handbuch der Pathologie. Bd. 1 — 3. 1814.* — Institutiones pathologiae generalis et specialis. Vol. I. II. Amstelod. 1814.

§. 4.

Hoc systema a Reilio conditum J. Brownius, procax et acris ingenii homo, Cullenii sententiis quidem imbutus, aemulationeque instigatus obscurare studuit. Jam in scholis suis indignationem ob novas sententias tunc temporis vigentes professus, etiam *contemplationes de systemate antiquo* typis vulgavit, et denique novum protulit systema [1]), ad quod se, observationibus de arthritide ipsum vexante factis, adductum fuisse dictitabat. Quod quidem systema Cullenio praecipue opponere voluisse videtur, nos vero cum ejus sententiis quodammodo congruere deprehendimus, quod ut demonstretur, hic jam Brownianismi summa sequatur.

§. 5.

Omne animal post mortem a se ipso et a quacunque materia vitae experte eo tantum differt, quod animal vivum singularibus viribus facultatibusque instructum cum rebus externis sui conservandi causa quodammodo confligit atque ita singularem exhibet vitam. Ad illas referuntur: calor, alimenta, medicamenta, sanguis, succi e sanguine secreti, venena, contagia; ad has vero: contractiones fibrae muscularis, sensatio vel perceptio, meditatio, pathemata et animi commotiones. Illa facultas, viribus externis atque internis excitanda, res externas percipiendi et illam vitam singularem exhibendi, dicitur irritabilitas. Rerum vero externarum efficacitas, quoad quidem corpus animale afficiunt atque irritabilitatem ei inhabitantem exstimulant, appellatur irritatio. Stimuli sunt vel universales vel locales. Quid vere sit

---

1) Elementa medicinae. Lond. 1787. — Elements of medic. Philadelph. 1790.

irritabilitas, nescimus; sed hoc manifestum est, eam in musculis et nervis sedem suam habere, ac certam ejus copiam cuivis animali a natura impertitam esse. Irritatio vero ipsa efficit, ut corpus fiat solidum et firmum seseque tueatur. Vita igitur est habenda pro actione, ad quam perficiendam organa stimulis coguntur. Valetudo secunda nititur normali seu mediocri irritatione; aequilibrio inter irritabilitatem et irritationem turbato, exoritur vel opportunitas ad morbos vel morbus ipse. Illa exiguis gignitur causis, hic fortioribus tantum aut universalis aut localis. Morbos universales posse quidem interdum videri locales, sed nequaquam pro talibus habendos esse. Universales jam ab initio tales cognoscuntur, locales contra nunquam; hi per longius temporis spatium protracti, in illos transire possunt. Illis, plerumque consentanea stimulorum irritabilitatem afficientium actione provocatis, opportunitas antecedere solet; quod in his, causa irritabilitati parcente e. g. mutata corporis partium forma ac structura, exortis, locum non habet.

Ad primam classem referuntur morbi universales, qui duplicis sunt naturae, aut sthenici aut asthenici.

Ad primum hujus classis ordinem morbi sthenici, rebus externis seu stimulis, qui tantum irritabilitatem augebant neque vero eam exhauriebant, provocati, praesertim sanguinis abundantia ejusque accelerato circuitu continentur, atque in tria genera dividuntur.

Primum genus. Morbi cum pyrexia atque inflammatione alicujus partis externae vel internae, in quibus stimuli irritantes cor ipsum et vasa vehementer exagitant — pneumonia, carditis, phrenitis, erysipelas malignum, rheumatismus, angina, vehementes variolae et morbilli. —

Secundum. Morbi cum pyrexia at sine inflammatione, in quibus stimuli exiguo cum impetu in cor et

vasa invaserunt — catarrhus, synocha, scarlatina, mites variolae ac morbilli. —

Tertium. Morbi denique pyrexiae et inflammationis juxta expertes, ubi cor et vasa non sunt affecta — mania, insomnia morbosa, obesitas magna. —

Ad secundum ordinem morbi asthenici, rebus externis seu stimulis asthenia inducta, aut nimis subito corpore ipsis stimulato et irritabilitate exhausta. In altero morbo ex stimulis non satis irritantibus orto, asthenia directa; in altero, stimulis fortioribus provocato, indirecta locum habet; etsi alterutra solummodo saepius occurrit, ambae tamen sese conjungere possunt; quum e. g. astheniam indirectam phlebotomiis vel laxantibus tollendam esse putares, isti hocmodo accedit directa et nunc nominatur asthenia mixta — amenorrhoea, scorbutus, rheumatalgia, haemorrhoea, vomitus, cardialgia, dyspepsia, diarrhoea, colica, cholera, miserere, volvulus, morbi, quibus plerumque infantes obnoxii sunt (his tamen non raro character sthenicus est impressus), arthritis, hydrops, epilepsia, nec non omnes spasmi convulsionesque, paralyses, hysteria, hypochondria, febres intermittentes, synochus, variolae confluentes, typhus, pestis et multi alii.

Secundae classis morbi locales tandem distribuuntur in quinque ordines: I. in organicos partium minus sensibilium, — omnes laesiones leviores; — II. in morbos organicos, qui totius corporis irritabilitatem facile capiunt, — gastritis, enteritis, nephritis, hepatitis, cystitis, peritonitis, metritis, monstra, partus difficiles, vulnera penetrantia; — III. in sequelas morborum universalium, — ulceratio, suppuratio, scirrhus, gangraena, sphacelus; — IV. in morbos contagiosos; et V. in eos, qui a venenis generantur. Hos vero ultimos ordines Brownius nunquam satis accurate exposuit.

§. 6.

Omnes res, quibus corpus animale affici potest, medicamentis non exceptis, sunt stimuli, quorum vero nullum pro specifico habendum est. Omnia quaecunque exstant medicamenta sunt vel debilitantia vel irritantia.

I. Ad stimulos astheniam inducentes referuntur: venaesectio, quae, vehementi stheniae caute adhibita, perniciosum stimulum totum corpus valde afficientem removet; emetica, quae superiorem tractus intestinalis partem purgant, statui sthenico obsistunt et venaesectionem superfluam reddunt; laxantia, quae, morbi vehementia phlebotomiis vel emeticis fracta, vel si morbus non est admodum vehemens, cum sola plane tollunt; sudorifera, in levi tantum sthenia apta, ubi sudorem largum excitare non licet, quoniam alioquin astheniam indirectam provocatura essent; frigus, cui non vehemens succedit aestus sed potius calor modicus. Nitrum, salia, hirudines, cucurbitae, vesicantia sunt incerti effectus, attamen utilitate non plane carent.

II. Stimuli, qui organismo sano stheniam tribuunt, astheniam vero tollunt; iique senioribus tantum soli, junioribus contra semper cum fixis conjuncti adhibendi sunt, dicuntur volatiliter sthenici, quorum principales sunt: spiritus frumenti, moschus, ammonium, naphthae, opium, cujus efficacitas secundum dosis magnitudinem ex omnibus ut plurimum esse videtur fortissima, ita ut primum animi corporisque functiones incitet ac stimulet, postea vero anodynam, antispasmodicam et denique somniferam habeat vim.

§. 7.

Methodus medendi in morbis curandis ab his solum pendet quaestionibus:

I. Num morbus universalis, an localis,
II. Num sthenicus, an asthenicus,
III. Cujusnam vehementiae sit?

Ut in morbis universalibus ad totum organismum, ita in localibus ad locum tantum affectum est respiciendum. Omnes morbi, qui stimulis gradu tantum diversis sunt provocati, medicamentis praesentis stheniae magnitudini accommodandis; morbi vero his contrarii medicamentis astheniam removentibus sunt sanandi. Viribus naturae medicatricibus, sine stimulis nihil pollentibus, confidere omnino non licet. Bene cavendnm est, ne sthenia imminuenda in indirectam astheniam invertatur. In asthenia mixta qualitas stimulorum adhibendorum et quantitas utrique astheniae serviat oportet. Reconvalescentia eadem, quae morbus modo superatus remedia poscit, sed eorum frequentiam ac fortiorem efficacitatem repudiat. Liceat insuper hic commemorare, Brownium ex viginti morbis tres tantum sthenicos, omnes ceteros vero asthenicos statuisse.

§. 8.

Quanto quidem studio Brownius systema suum discipulis inculcare studuerit, haec ejus verba de cathedra, dum scholas suas haberet, enunciata „*Age et vince!*“ demonstrent. Itaque hoc novum systema discipulis ita arrisit, ut ad omnes morbos id adhiberi posse putarent, quod quum in Britannia maxime floreret, G. Rasorius, medicus Italicus, qui tunc temporis iter per Europam faceret, cum in Britanniam venisset, novae doctrinae perdiscendae operam dedit. In patriam reversus ibidem nonnullos medicos — Moscatium, Massinium, Strambionem, Jos. Frankium etc. — hanc novam medendi rationem persequi vidit ac serius, quum professor academiae Tici-

nensis et medicus primarius nosocomii esset creatus, ipse Brownii discipulum sese exhibuit adeoque illius *Elementa medicinae* in linguam Italicam transtulit. Quum vero Genuae millesimo septingentesimo nonagesimo nono atque anno sequente febris petechialis epidemia in dies magis grassaretur, Rasorius, medicus Italiae celeberrimus, illuc missus, vanitatem atque errores *Brownianismi* in hac potissimum epidemia curanda mox optime intellexit, atque aliam viam circumspicere coactus est. Animadvertit enim, illa medicamenta, quae Brownius stimulos esse contenderat, re vera diversam adeoque oppositam vim in organismum habere; morbos sthenicos non semper e causis irritantibus oriri, et sic vice versa; plurimos morbos neutiquam se exhibere asthenicos, sed potius sthenicos; astheniam indirectam non ita, ut ille dixit, se habere, et sic porro. Atque ita factum est, ut primus inciderit in *Contrastimulum*, *Brownianismo* fere oppositum, de quo postea acrius ac diligentius coepit cogitare, atque tempore labente novum condidit systema.

Ista tamen epidemia prius finita est, quam ut novam medendi rationem, a se ipso excogitatam, ipsi posset adhibere. Genua Ticinum reversus non multo post historiam illius epidemiae typis vulgandam curavit [1]), in quà sicuti in *Preteso genio d'Ippocrate*, in *Prolusione academica* et denique in *prooemio adnotationibusque Zoonomiae* Darwinii ab ipso in lingnam Italicam postea translatae [2]), obscure quidem et incerto modo systema suum adumbravit, abunde tamen et graviter commendavit. Jam

1) Storia dell' epidemia di Genova negli anni 1799 et 1800, aggiuntivi alcuni cenni sull' origine della petechiale. Milano 1801, Ediz. second. 1806.

2) Zoonomia ovvero leggi della vita organica; traduzione dall' Inglese, con aggiunte del Dottore G. Rasor; Milano 1803.

perpetuo studium posuit in systemate suo theoretice excolendo, in quod Darwinii *Zoonomia* quoque aliquam vim habuisse videtur. Tunc vero temporis, ubi professor nosocomii militaris ac civilis Mediolani florentis, nominatus erat, commodissima occasio ei data est, non tantum illud systema diligentissime examinandi, sed etiam ejusdem utilitatem perspicieudi et probandi. Tantum tamen abfuit, ut perspicue continenterque sententias suas literis mandaret, ut abruptae scriptionis signa etiam in opusculis, illo tempore editis [1]) apparerent; in scholis tamen, quas habebat, discipulis suis novam doctrinam luculenter exposuit. Nihilominus in Italia permulti medici doctissimi, experientissimi ac professores illustrissimi — Lanza, Brera, Fanzago, Carminati, Bondioli, Ambri etc. — animnm ad hoc novum systema advertetrunt, quo occupati id theoretice excolere et practice probare neutiquam praetermiserunt. Cum jam Rasorius rebus politicis, quarum causa etiam postea muneribus publicis se abdicare debuit, prohibitus esset, quominus de suo systemate publice dicere ac scribere posset; istud ferme oblivioni datum esset, nisi Jacobus Tommasinius, professor Bononiensis doctissimus, celeberrimus, opus, Rasorii sententias plane exhibens, de febre flava edidisset [2]).

Quo facto, multi medici Italici hac de re cogitare, ac permulti in tota quidem Italia praesertim vero in Lon-

---

1) Delle peripneumonie inflammatorie, e del curarle principalmente col tartaro stibiato. — Dell' azione della digitale nel sistema vivente; cujus versio in *Hufeland's Journal. Bd. 42., St 2., S. 34.* — Dell' uso della gomma - gotta ne' flussi intestinali, e del nitro nel diabete.

2) Ricerche pathologiche sulla febbre di Livorno 1804, sulla febbre yalla americana, arrichite d'una memoria sulla febbre contagiose epidemiche constituzioni 1805. Bolog. 1806.

gobardia hoc systema in morbis curandis sequi coeperunt et nunc sequuntur; sed vix quidem extra Italiae fines id hucusque egressum est. Quamvis nullum et Rasorii et ceterorum scriptorum opus exstaret, quod totum systema amplecteretur, Tommasinius tamen, tanquam ejus reformator, id nominavit: Novam doctrinam medicam Italicam. Hanc vero permulti medici prae ceteris Italici literis excolere et augere conati sunt, quorum opera praecipua hic commemoramus.

Rasorii opuscula jam nominata sunt. Tommassini Opera minora. Bologna 1821. — Vincenza Lanza sull' azione de 'rimedi nel corpo umano, ossia saggio d'un nuovo sistema di medicina. Mantova 1804. — Lanza Istituzione clinica secondo li principi della medicina antica, Browniana e controstimolante. Napoli 1811, — Fanzago memoria sulle virtù digitale. Padova 1810. — Fanzago sull' azione irritativa; discorso pronunziato nella grand'aula R. università di Padova nel nuse di giugno dell' anno 1811. Padova 1812. — Carminati Igiene terapeutica e materia medica, trad. dal Dott. F. E. Acerbi, con note sue e dell'autore, e col prospetto della nuova dottrina de' medicamenti, secondo la teoria del controstimolo, Milano. 1813. — G. D. V. Mantovani, Saggio della teoria medica del controstimolo. Codogno 1816. — J. A. F. Ozanam, Ceuni sulla teoria e la practica della dottrina medica del controstimolo; con alcuni osservazioni comparativi tra il risultamento del metodo di cura secondo i principi di questo sistema, e quelli del metodo communemente adottata, Milano 1816 — V. L. Brera, rapporto de 'risultati ottenuti nella clinica medica della regia universita di Padova; sul curso nell' anno 1809 — 10 etc. — Della Valle, nozioni generali sulla teoria del controstimolo. — Gaimari, considerazioni

sulla teoria del controstimolo. — Chiaverini, memória sulla teoria del controstimolo. — Boudioli, ricerche sulle forme particolari della malattie universali; inserite negli Atti della Società Italiana. Vol. XII, p. 2. — Guani, Rapporto alla commissione centrali di Sanità di Genova sopra una febre contagiosa. Genova 1816. — Giornale della società medico-chirurgica di Parma. — Commentario di Medicina metodico-razionale, ossia Giornale della scienza medica Italiana. — Sulla febre petecchiale e la nuova dottrina medica; riposta del Professore Tommassini al Signor de Mattheis. Napoli. — Sulla nuova dottrina medica italiana testé sviluppata dal Prefessore Tommasini. Lettere medico-critiche del Dottore G. P. Spallanzani. Reggio 1818. Continuazione delle lettere medico-critiche del G. P. Spallanzani 1820 (quibuscum literis Mattheis ac Spallanzani acerrimi procedunt adversarii.) — *E. von Loder, Bemerk. über ärztliche Verfassung und Unterricht in Italien während des Jahres 1811; Leipzig; — Weinhold, Ehrenrettung Loder's d. J. und einige Bemerkungen über* Rasori's Contrastimulus. *Halb. 1817. — W. Wagner, Darstellung und Kritik der italienischen Lehre vom* Contrastimulus. *Berlin 1819. — C. Otto's Reise. Hamb. 1825. Bd. I. — Journal der Erfindungen. Bd. I. № 4. S. 415. — Froriep's Notizen; Medicinische National-Zeitungen; Hufeland's Journal* in multis locis.

§. 9.

Quamvis universa doctrina nova vix transierit Italiae fines, — si Benj. Rushium, medicum Philadelphiae experientissimum et toti doctrinae deditum exceperis, cujus aliquot literae a Bellio ex America datae in Riposta del Professore Tommasini al Signor de Mattheis

legi possunt, — nihilominus tamen ubivis permulti medici solam quidem novae doctrinae therapiam in aliquot morbis curandis nunc lubenter sequuntur, etsi reliquis ejusdem partibus nequaquam assentiant. Ex his celeberrimi sunt Peschierus, medicus et chirurgus Genevae experientissimus, qui contendit [1]), sese eodem tempore quo Rasorium in hanc curandi methodum incidisse, sed quum non multo post de Rasoriano systemate legisset, sibi hoc sufficere professus est, si pro confirmatore certe neque vero pro inventore habeatur; T. H. Laennec [2]), professor Parisiensis clarissimus; Bangius [3]), professor Hafniensis; Wolff [4]), medicus Varsoviae experientissimus; Meriadec Laennec [5]), medicus primarius nosocomii Parisiensis; et Ambrosius Laennec [6]), medicus in hospitiis Dei Namnetae. At enim vero in Germania adeoque Lipsiae sunt, qui novae doctrinae therapiam e. g. pneumoniis adhibebant, quos nominare plures me vetant rationes.

Atqui denique professor Tommasinius praedicet [7]), novam doctrinam felicissimis curationibus celeberrimarum scholarum niti, nimirum omnia illa remedia expellentia, temperantia, corrigentia, involventia, emollientia, antiphlogistica, etc. felicissimo successu morbis opposita

---

1) Bibliothèque univ. de Genev, Sciences et Arts, t. 20., p. 142.
2) Traité de l'auscultation médiate, t. 1, p. 492. Paris 1826.
3) Bibliothek for Laeger, 1826, cah. 2., p. 115., analys. dans le Bulletin des Sciences medicales, t. 11., N° 175; par M. D....
4) *Hufeland's Journal 1824*; extr. de la Nouv. Bibl. méd., t. 6., p. 227.
5) Arch. de méd., t. 4, p. 481
6) Journal de méd. de Nantes, juillet 1826.
7) Della nuova dottrina medica Italiana. Prolusione alle lezioni di clinica medica nella P. Università di Bologna per l'anno scolastico 1816 — 17., del Professore G. Tommasini. Firenz. 1817.

esse tanquam contrastimulos; plurimos morbos tam chronicos quam acutos e fontibus phlogisticis manare, in quibus stimulus praevaleat; emeticum in morbis acutis, sporadicis, epidemicis, contagiosis et aliis feliciter ab antiquis adhibitum, pro contrastimulo habendum esse; itaque totam methodum deprimentem seu antiphlogisticam novae doctrinae quodammodo viam praeparasse. Verbo, nexum novorum principiorum cum medicina practica antiquiore aeque ac recentiore nec non rationem, quae non solum in scholis hodiernis sed etiam in operibus recentiore tempore editis, versetur, novae doctrinae prodesse et inservire.

SECTIO SECUNDA. *)

Rasorii medicina sive nova doctrina medica Italica.

Caput I.

Nosologia.

§. 1.

Vitae principium quid sit, nequaquam adhuc medici intellexerunt, neque in posterum intelligent, nisi penitus naturam corporis humani perspiciant. Quam multae conjecturae, argumentationes explicationesque ab antiquissimo inde tempore ad hodiernum diem usque a scholis medicorum ad hanc quaestionem solvendam propositae sunt, sed frustra! Quare Brownii etiam sententiam de vi vitali a veritate satis remotam esse, nemini mirum potest videri. Nos leges, secundum quas illa vis agere videtur, paucis examinabimus.

§. 2.

Jam experientia docet, omnia corpora organica viva non solum passiva quadam facultate res externas

*) Omnia, quae hac sectione continentur, tanquam ab illis viris, qui huic doctrinae dediti sunt, dicta intelligas.
Fontes sunt nonnulla opera supra nominata.

percipiendi eorumque efficacitatem excipiendi (receptivitate), sed etiam activa facultate, res externas, pro diversa natura, diverso modo afficiendi et mutandi (reactione) praedita esse. Item constat, omnes vires seu res externas corpora organica aut roborare (irritare) aut debilitare (stimulis necessariis privare); quod etiam de humoribus corporum organicorum valet. Nam sanguis omnium stimulorum internorum princeps corpus animale irritat, reliqui contra succi, lympha, chylus, in universum non rubri, pro contrastimulis habendi sunt. Moderata irritatio aeque ac virium detractio atque justa earum vicissitudo vel quasi phlogosis, quae vicissim stimulis efficitur, contrastimulis vero exstinguitur, plurimis functionibus vitalibus necessaria esse videtur; ita quidem ab hac exigua quasi phlogosi nutritio, assimilatio, reproductio, generisque propagatio pendet. Aequilibrio vero inter stimulos et contrastimulos turbato, pathologica eveniunt phaenomena. Quod vero ad vim vitalem rebus externis mutatam, quoad singulum quodque organismi systema vel organon attinet, duo sibi oppositi status distingui posunt; nimirum

I. aut actio vitalis aucta est, et fibra organica versatur in contractione;

II. aut actio vitalis est imminuta atque oppressa, et fibra organica relaxata ac remissa est.

Ille status olim sthenia est dictus, hic vero asthenia, quae quidem denominationes claudicant. Etenim cum sthenia, secundum etymologiam mere significet vim, robur, excludit imbecillitatis notionem, quae tamen, etsi diversis causis effecta, in utroque statu occurrere potest. Itaque R a s o r i o ejusque discipulis hae denominationes: diathesis stimuli et diathesis contrasti-

muli (*Diathesis di stimolo et Diathesis di controstimolo*) videntur esse praeferendae, quia simul causas diathesin afferentes amplectuntur neque imbecillitatis notionem excludunt.

§. 3.

Sub diathesi stimuli haec fere comprehenduntur symptomata: vitalis totius organismi vis aucta, ejus actio et fibrae organicae reactio major, atque fibra ipsa contractione intensa. Hoc virium vitalium augmentum in quocunque systemate locum habet. Irritabilitas una cum musculorum vi adaucta est, ac proclivitas ad convulsiones (convulsibilitas) se exhibet, quae proinde a cerebro et nervis vix unquam abest; unde animi exaltatio, deliria ferocia et variae nervorum affectiones pendent. E vasorum actione adaucta oritur pulsus frequens, fortis, cordisque palpitatio etc., ac vasorum lymphaticorum exhalantiumque irritatione secretiones atque excretiones nunc largiores, sicuti in diarrhoea, diabete et aliis morbis, nunc contra parciores fiunt.

Diathesis contrastimuli his symptomatibus cognoscitur: vi vitali in universo corpore imminuta et fibra organica relaxata, vi musculari imprimis remissa et exigua tantum sese contrahendi proclivitate praedita. Pulsus arteriarum et cordis ictus deprehenduntur rariores, debiliores, minores quam in statu normali, interdum tamen frequentiores. Plerumque secretiones et excretiones imminuuntur, interdum vero copiosiores redduntur scilicet ob illam fibrae remissionem. Functiones gastricae quoque sunt perturbatae, itemque cerebrum et nervi solito carent vigore et officiis suis male funguntur; unde status soporosus, animi deliquium ejusque facultatum hebetudo, delirium taciturnum, aurium susurrus etc. sequun-

tur. Cadaveribus dissectis, rigiditas et rubor profundus et saturatus musculorum de praegressa diathesi stimuli, laxitas contra et partium pallor de priori diathesi contrastimuli nos faciunt certiores. Si igitur ante mortem diathesis morbo supposita dubia erat, post mortem quidem cadaveris sectione cognoscitur.

§. 4.

Praeter has ambas diatheses, quarum utraque certum exprimit morbum, singularis status, irritatio dictus, occurrit. Sunt enim substantiae, ut venena, miasmata, contagia, vermes, alimenta cruda, lapides vesicales etc., quae, dum corpori organico sunt dissimillimae, ab initio irritabilitatem non tangunt, sed in organismo functionum tantum perturbationes (*disturbi*) provocant, quae idcirco stimulorum aut contrastimulorum ope nunquam, sed potius illam materiam removendo ad normam et ordinem revocari possunt. Cum vero materiae irritantis effectus per longius temporis spatium duraverint, ita ut istae turbationes irritabilitatem ipsam invadant, diatheseos assequi possunt gradum. Diathesis stimuli contra ob majorem alicujus partis vel organi sensibilitatem localem provocare potest irritationem; quod in multis morbis videtur locum habere. Mala diathetica et irritativa inter se ita differunt, ut illa etiam tum, si causa remota est, maneant, haec vero cedant; ita ut illa, quamvis causa adsit, tamen per compensationem (*compensazio*) tollantur, — hoc est per remedia, quae, causa non cessante, efficacia sunt et sanant, — haec nisi causa irritans removeatur, non curentur. Quae mala ex irritatione locali exorta morbos nominare haud licet, sed potius quamdiu diathesin nondum acquisiverunt, affectiones tantum irritativas (*Affezioni irritative*). Illa vero diathesis stimuli, in qua aliqua pars irritatione

vehemente e nimia sensibilitate exorta laborat, dicitur a Fanzagone aliisque diathesis phlogistico - irritativa (*Diathe.i flogistico - irritativa*).

§. 5.

Sed neque causae neque symptomata morborum naturam sive diathesin certo indigitare possunt. Namque in eodem morbo interdum dissimillima symptomata et vice versa morbi, quoad causas et naturam dissimiles, similibus sese manifestant symptomatibus. Pro incerto solum signo est habendus arteriarum ictus, adeoque status contractionis et relaxationis partium. Nos vero maxime fallit virium prostratio atque imbecillitatis sensus, qui non semper unicus diatheseos contrastimuli effectus est, quoniam affectionibus vehementem phlogosin efficientibus non deest, atque imo stimulorum copiam e. g. ebrietatem sequi potest.

Ratio symptomatum omnium nonnisi una cum causis, alterutram diathesin quodammodo illustrat. Arteriarum ictus sententiam nostram de diathesi aliis praeterea rationibus nixam eatenus tantum confirmare possunt, quatenus aut penuria contractilitatis et mollities, aut contractili!as fortis indeque oriunda durities a premente digito sentitur. Earum ictus irregulares, intermittentes, pleni, undulantes etc. a rebus fortuitis, non essentialibus dependent, atque igitur in utraque diathesi deprehendi possunt. Diathesi hoc modo examinata, nos de hac ipsa insuper plane reddimur certiores eo, quod, dum remedium aliquod, cujus efficacitatem speramus diathesi responsuram esse, adhibemus, ex effectibus ejus videmus, utrum nostram diagnosin affirmet nec ne. Itaque medicus scopum suum quodammodo jam nactus est, dummodo diathesin accurate exploraverit.

§. 6.

Omnes morbi, quibus diathesis stimuli supposita est, fere semper, imprimis cum secundum certas periodos decurrunt, per se ipsos in sanitatem transeunt, vel exiguo tantum medicinae auxilio indigent. Morbi vero diathesi contrastimuli obnoxii, plerumque si sibi ipsos committimus neque aptos stimulos iis adhibemus, morte solvuntur, quum vis vitalis magis magisque et denique plane exhauriatur. Unde etiam fit, ut hi morbi per breve solummodo tempus durent, illi vero per longum protrahantur, et quidem quo longius durant, eo certiores de diathesi stimuli nos facere solent.

Varii morbi, praecipue post inflammationes remanentes, ut indurationes, exsudationes etc., non oriuntur nisi diathesis stimuli antecesserit; minime vero propterea necesse est, unumquemque hujus diatheseos morbum ejusmodi mala sequi.

§. 7.

Si jam reputamus, organismum vivum in perpetua externarum internarumque virium sibi oppositarum agitatione versari, et proinde aequilibrium harum virium facile tolli, verosimile est, rarius morbum sine diathesi occurrere, quam diathesin non sequente morbo. Quamdiu haec diathesis, morbo nondum generato, in vivo organismo latet, tamdiu pro causa interna, praedisponente, habenda est. Ut haec praedispositio cuidam causae externae seu occasionali respondeat, necesse est, diathesi natura sua affinis sit. Diathesis ista occulta si certum assequitur gradum, vel causa occasionali apta ad eam accedente, diatheticas perficit operationes (*lavori diatesici*), quibus sese prodit morbus. Morbo jam generato eadem diathesis, quae antea praedispositionem

formabat, plerumque regnare pergit. Sed non opus est, talem praedispositionem semper antecedere, diathesis potius una cum sua operatione sive morbo ipso post causam vehementer agentem repente oriri potest.

Morbi sine diathesi sunt affectiones irritativae, quas supra §. 4. descripsimus. Quae tum demum atque ut plurimum stimuli diathesin assumunt, cum irritabilitatem aggrediuntur. At non modo in his affectionibus, irritabilitate jam mutata, sed etiam in ista praedispositione stimuli diathesin saepius invenimus quam contrastimuli. Quod ita esse jam eo elucet, quod numerus rerum corpus humanum irritantium multo major est quam rerum corpus nostrum debilitantium. Nam et peculiaris organismi humani vivi ratio chemica (vide infra), et continuo res stimulantes v. g. corporis contentiones laboresque, leviora vitia diaetetica, animi pathemata, contagia, subitaneae tempestatis vicissitudines, quae in organismum vim habent, hunc ipsum magis proclivem reddunt ad diathesin stimuli. At enimvero diathesis stimuli non solum per res irritantes exoritur, sed etiam per debilitantes provocari potest. Illi nimirum innumeri morbi, qui ex aëris humiditate atque algore corpus nostrum debilitantibus et nominatim transspirationem cohibentibus oriuntur, stimuli diathesin prae se ferunt. Quid quod hepatitis ex animi commotionibus; arteriarum inflammatio ex terrore; peritonitis e magnis inter partum haemorrhagiis itemque animi commotionibus originem habere possunt; et tum a rebus debilitantibus pendent!

Itaque cum ea omnia, quae hucusque dicta sunt, animo contemplamur, negari omnino nequit, diathesis stimuli saepius occurrat necesse esse quam contrastimuli. Idcirco Tommasinius, experientiam temporum antiquiorum recentiorumque testem afferens, contendit,

e centum morbis nonaginta et quinque stimuli diathesin habere.

§. 8.

Diathesis jam formata per totum morbum plerumque obtinet; at interdum accidit, ut diathesis stimuli vel ab initio vel inter decursum morbi diathesin contrastimuli excipiat, haec tamen non multo post illi iterum cedat. Hanc brevem diatheseos alternationem dependere putabant nonnulli ab inaequali nervorum contentione vel ab alia fortuita conditione pathologica. Pro ejus causa Tommasinius vero dolorem esse habendum existimat. Dolor enim, ait, contrastimulantem habere videtur vim. Si igitur dolores vehementissimi in nonnullis partibus locum habent, facile fieri potest, ut diathesin stimuli opprimant et per aliquantulum temporis diathesin oppositam efficiant. Altera in alteram tunc demum penitus transire potest, cum causae alteram perficientes silent, iisque valde oppositae agere incipiunt. Verum talis diversitas causarum morbos imprimis periodicos gignentium raro videtur occurrere. Sed fieri etiam potest, ut medicamentum aliquod ad diathesin frangendam porrectum, non solum praesentem auferat, sed adeo contrariam provocet, quo facto medicamentum per aliquod tempus omittatur necesse est.

Majoris vero momenti videtur, si, quod interdum fit, diathesis morbo cuidam supposita, in organo affecto non solum profligata sed adeo in oppositam permutata est, in reliquis contra organis et systematibus eadem adhuc quae ab initio obtinet. Apparet autem ex iis quae hucusque exposuimus, utramque diathesin nec non affectionem irritativam se invicem excipere posse [1]).

---

1) In opusculo supra citato (Prolus. etc.) Tommasinius hujusmodi exemplum memoratu dignissimum narravit. — Femina pro sale pur-

Neutiquam vero praetermittendum est id, quod saepissime maxime nos fallit. Namque stimulis ipsis exoriri quidem potest quidam debilitatis status, at hic neutiquam habendus est pro vera atque absoluta debilitate sive inopia virium vitalium, sed potius simulat tantum debilitatem, est igitur defatigatio, lassitudo (*stanchezza*). Haec debilitas physiologica, quam vocant, in stimulorum multitudine tantum causam habet, qui vires vitales quasi obruunt et cohibent. Quum vero haec debilitas physiologica diutius durat, sicut ebriosis accidit, vires vitales stimulis ita paulatim assuescunt, ut consueti stimuli id quod exspectetur, non efficiant, et paulo post stimuli adhuc occulta diathesis expediatur, quo facto operationem suam chronicam vel acutam libere perficit. Illa absoluta vero debilitas inde trahit originem, quod irritabilitas quibuslibet causis imminuta non amplius sit idonea ad externos stimulos et valetudini bonae conservandae necessarios, excipiendos ac ferendos. Itaque absoluta debilitas seu inopia virium vitalium a physiologica sive defatigatione subtiliter accurateque distinguenda est. Quod vero non aliter fieri potest, nisi diathesi diligentissime cognita. Qua in re non symptomata, quae,

---

gaute Zinci sulph. unciam dimidiam sumsit. Paulo post vehemente cardialgia, auxietate, vomitu ac convulsionibus corripitur. Tommasinius in auxilium vocatus causam hujus affectionis irritativae removere studuit; at frustra. Faciei pallor, frigus extremitatum, pulsus debilis atque irregularis, sudor frigidus, animi deliquium secuta sunt. Tommasinius aegrotam virium prostratione morituram esse ratus, stimulum (Liqu. Hoffm. et vinum) sumendum curavit. Illa symptomata post hoc remedium cardiacum siluerunt, vires vitales redierunt, pulsus fere naturalis. Proxima nocte vero dolores in regione gastrica, febrem, linguam siccam, sitem magnam etc. deprehendens, gastritidem factam statuit, quare medendi rationem mutavit.

quod jam antea dictum est, nos saepissime fallunt, sed potius causae perspectae et praecipue medicamenti cujusdam notissimi effectus certiores nos faciunt.

§. 9.

Jam vero morbi cum nullum certum ac pathognomonicum characterem prae se ferre soleant, haud simili ratione, qua v. g. plantae, in classes, genera et species videntur posse dividi. Quamquam morborum causae sufficiens fundamentum divisionis nobis non praebeant, tamen ratione earum habita forsan morbos discernere licet: I. in morbos contagiosos, quo scabies, syphilis etc. pertinent; II. hereditarios, quo scrophulae; III. epidemicos; IV. fortuitos, qui per singulares easque fortuitas causas exorti, a classibus praecedentibus sejungendi sunt.

Tommasinius vero putat, secundum physicas aut vitales turbationes, quae in morbis se exhibent, ipsos esse distribuendos. Statuit igitur: I. instrumentales; huc refert eos, qui irritabilitatem non invadunt et magna ex parte e physiologiae legibus explicari possunt; II. vitales; eos, qui irritabilitatem mutant. Qui Tommasinio autore iterum dividendi sunt, quatenus ab abundantia stimuli pendent, *a)* in morbos cum diathesi stimuli; aut *b)* in morbos ab exiguitate et absentia stimuli, i. e. cum diathesi contrastimuli.

§. 10.

His generatim commemoratis nunc de nonnullis morbis in specie exponemus.

Ut processus phlogisticus, qui ab aliqua parte egressus, totum organismum pervagatur, quasi focum plurimorum morborum constituit, ita certissimum est,

idem de quavis inflammatione valere. Quae cum naturam ac rationem suam nunquam mutet, quoniam stimulis solum excitetur, quocunque tempore, sub quibuscunque conditionibus et in quibusvis individuis occurrat, perpetua diatheseos stimuli deprehendenda est operatio. Haec diathesis morbis inflammatoriis eorum quoque individuorum subest, quae debilitate absoluta laborant, in quibus tamen minus vehementem sese exhibet. Interdum etiam morbi inflammatorii videntur diathesin contrastimuli habere, quandoquidem repente atque una cum inflammatione debilitas quoque physiologica incipit atque aeque praeterit, ita ut ne ipsa quidem, sed inflammatione jam superata, secundarius tantum morbus animadvertatur.

Jam febris, etsi ejus vera causa hucusque nondum est cognita, semper a locali alicujus partis phlogosi pendet, ejusque effectus mox totum occupat organismum. Pro ejusmodi igitur vehementiori vel mitiori partialis status inflammatorii diffusione, habenda est tam acuta febris quam lenta. Unicus quidem febris paroxysmus inflammationi locali antecedere potest, neutiquam tamen diathesin gignere vel febris characterem in posterum acquirere valet, isque etiam, inflammatione et diathesi non apparente, brevi vel sponte sua vel per medici auxilium cessat. Sin vero diathesis eum comitatur, febris permanet, crescit ac percurrit certa sua stadia. Quae stadia, frigoris, caloris ac sudoris, olim habebantur pro causis et effectibus. Hoc vero non ita se habere, jam ex eo intelligitur, quod singulorum horum stadiorum vehementia non semper eadem sit, adeoque frigoris et sudoris stadia interdum plane desint. Jam vero inter frigoris stadium videmus cutem sese contrahere, corrugare, volumine decrescere ac pallescere. Hujus phaenomeni causa habenda est arteriarum extremarum exinanitio, quae vero neutiquam ab immi-

nuta cordis vi, sed solo earum motu quasi antiperistaltico efficitur. Similem motum in venis quoque locum habere verosimile est, quoniam inter frigoris stadium livor palpebrarum, labiorum unguiumque sanguinis venosi accumulationem indicant. Calor in corpore animali semper, atque igitur augmentum ejus in febribus, accelerata sanguinis circulatione tantum secundum artis chemicae leges efficitur, et cum organico-vitali combustionis processu comparari potest. Quod denique ad sudoris stadium attinet, hoc tenendum est. Quum enim multis in morbis non febrilibus pulsu nequaquam frequente sudor prorumpat, ne ipse quidem pro circulationis adauctae effectu est habendus, praecipue cum calori vel frigori interdum antecedat. Itaque nobis persuasum est, sudorem neutiquam per circulationem adauctam, sed potius per motum vasorum lymphaticorum antiperistalticum propelli. Quae cum ita sint, ex his, quae modo diximus, similiter horripilatio localis, a qua febris plerumque incipere solet, demonstrari possit, quippe quae omnium primum ea ex parte exit, quam ignota febris causa primum invasit.

Ut vero medicamenta motum antiperistalticum ventriculi et oesophagi atque igitur vomitum provocare pollent, ita eadem, si nimia eorum dosis datur, motum vasorum antiperistalticum seu febrem ciere possunt.

§. 11.

Maxima ferme familia hujus morborum ordinis sunt febres exanthematicae, earumque unaquaeque singularem efflorescentiam prae se fert, et plerumque individua certae praedispositioni obnoxia contagio suo certo afficit. Quid sit contagium ipsum primum videamus, deinde de aliquot majoris momenti morbis nonnulla faciamus verba.

Contagii origo non minus ignota est, ac plantarum

atque animalium. Nonnulla exanthemata v. g. herpetes maximopere aequant morbosas arborum corticis excrescentias. Ut corpora organica e germine quodam sui generis gignuntur et novos organismos sibi similes gignunt, ita contagium propagatione tantum initium habet. Proinde multa insecta eorumque ovula vitam occultam diutissime degunt, quae postea conditionibus externis faventibus aperte vivere incipiunt et excluduntur; idem de contagio valet. Ut permulta insecta certis tantum rebus adhaerent, ita contagium quoque. Nonnullae res externae insectis itemque contagiis nocent vitamque eripiunt, quae sunt v. g. aquarum abundantia, odores quidam acerrimi, hydrargyrum, sulphur. Eandem vim habent anni tempestates, coeli, caloris frigorisque temperies in insecta atque contagia.

Quae de contagio hucusque dicta si accurate perpenduntur, nobis ferme credendum est, contagia nihil aliud esse nisi insecta quae non tam in sanguine versentur quam in cute atque in canalibus lymphaticis, ibique ovula sua ponant, e quibus postea soboles ipsa sub phaenomenis contagii prodeat. Quod si jam aliis individuis stimuli diathesi plane non vel haud admodum praedispositis traditur, irritativam tantum affectionem profert, si contra hominibus communicatur hac diathesi jam antea laborantibus, inflammationem partis alicujus, in quam natura ipsius majorem habet vim, efficit.

Jam in variolis, morbillis, scarlatina et ceteris exanthematibus tale est contagium, quod imprimis in suprema corii superficie inflammationem excitat; in febre petechiali et flava, peste et typho tamen eadem inflammatio cum meninges tum nervorum neurilemma occupat, id quod omnes cadaverum sectiones comprobant.

Nimirum febres gastricae et biliosae, dummodo af-

fectionem irritativam parum superaverint, ventriculi atque hepatis inflammationem comitem sibi adjungunt. Causam scrophularum in lenta glandularum inflammatione, causam chloroseos in inflammatione intimae membranae vasorum, et simili modo aneurysmatum causam in lenta arteriarum phlogosi quaerunt, qua postea arteriarum pars crassior, earumque membranarum textura fit innaturalis (*snatura*). Omnibus his morbis sicuti arthritidi, hypochondriae, phthisi, cholerae, omnibus tumorum generibus, saepissime anasarcae, ascitae, hydrothoraci, imo etiam dyscrasiae scorbuticae et gangraenosae diathesis stimuli est supposita. Quae diathesis ad plurimos etiam nevroses, spasmos, convulsiones, neuralgias, paucis exceptis, pertinet v. g. tetanum, epilepsiam, apoplexiam, ischiadem nervosam, prosopalgiam etc. Permulti alii morbi hac diathesi partim exoriri, partim ali solent.

Quamvis alterius ordinis morbos, cum contrastimuli diathesi conjunctos, nondum deinceps enumerare possimus, tamen nobis persuasum est, valde exiguam esse ipsorum summam, certe omnes febres perniciosas huic diathesi esse subjectas.

Caput II.

Pharmacologia.

§. 12.

Ratio, qua medicamenta tam ab antiquioribus quam recentioribus medicis ad certas classes certosque ordines revocata ac certis nominibus appellata sunt, v. c. divisio eorum in diaphoretica, laxantia etc., parum

apta videtur ad vires, quae singulis insunt medicamentis, vel obiter cognoscendas. Itaque operae pretium esse videtur proponere aliam rationem, quae et intellectu facilior ac simplicior et vero etiam morborum naturae magis accommodata sit.

§. 13.

Jam supra commemoratum est, omnes res organismum vivum aut irritare aut debilitare, quod igitur ad medicamenta quoque stricte sic dicta referendum est. Cujus rei veritatem comprobat experientia, nam alia medicamenta omnes functiones exstimulant et fibram organicam contrahunt; alia contra exstimulatas coercent et fibram organicam relaxant. Hoc modo omnia medicamenta ad duas principales classes redigenda sunt, diathesi in primo capite expositae et illustratae apte respondentes, quarum altera stimulos, altera vero contrastimulos amplectitur. Altera classis alteri est opposita, ita ut symptomata, quae stimulus aliquis effecerit, contrastimuli usu tollantur, et vice versa. Itaque alterius medicamenti effectus sive diathesis organismi, per alterius effectum, siquidem diathesi praesenti par est, quasi exstinguitur, vel, quod idem est, utriusque effectus invicem tollitur. Si bestia stimulo necata est, ejus cor contractum et sanguine vacuum reperimus; si vero contrastimulo, cor relaxatum dilatatumque sanguine abundat. Omnia autem medicamenta imprimis contrastimuli, primum plerumque afficiunt ventriculum, deinde vasorum sanguinis systema, et postremum nervos, simul tamen vis eorum primaria a secundaria bene distinguenda est; de qua re deinceps plura faciemus verba.

Stimulus partium solidarum vivarum actionem ciet et generatim tonum et energiam auget. Contrastimulus,

dummodo ventriculum tetigerit, jam optimum effectum provocare solet. Si enim stimuli diathesis functiones gastricas cohibebat, iste ventriculo cibi appetentiam meliorem vel integram tribuit. Cum vero constrastimuli adhibiti dosis diathesin praesentem gradu superat, eo nausea, vomitus et cardialgia efficitur. Etiam fieri fortasse posset, ut, si stimuli diathesis ex systemate gastrico proficiscens late pateret et contrastimulus adhibitus jam ab initio vehementer ageret, illa systema gastricum derelictura adeoque diathesi oppositae cessura esset, quamvis in ceteris systematibus organisque prima diathesis maneret. Si jam potestas contrastimuli e systemate gastrico in cor et vasa quoque propagabatur, ejusque actionem imminuebat, in vasa secernentia transit. Secretiones atque excretiones antea diathesi stimuli cohibitae nunc scatent; quum tamen in hac diathesi auctae sint, quod in diabete, dysenteria etc. fieri solet, interdum restringuntur. In universum vero hic secundarius contrastimuli effectus sibi non semper constat, neque raro plane contrarius est. Contrastimulus vasa lymphatica, quorum actio interrupta erat, etiam ad resorbendum incitare potest, nisi tanta dosi detur, ut eorum actionem justo magis commoveat. In cerebrum et nervos quoque contrastimulus similem habet vim. Cerebri pariter ac nervorum functiones integras vario modo perturbat. Si vero in cerebro et nervis stimuli diathesis inest, symptomata diathesi provocata aufert. Universalis erethismus fugit, animi facultates ad normam redeunt, convulsiones silent, et sopor vitam exstincturus cedit.

§. 14.

Ut medicamentorum potestatem virtutemque penitus cognoscamus, neutiquam sufficit, ut eorum odorem, sa-

porem etc. respiciamus, sed primum iis in jejunum bestiae vel hominis ventriculum demissis, accuratissime, quae effectura sint, observemus necesse est. Etsi effectus interdum satis mixtus est, certissime tamen a contrastimulo pallor, horripilatio, frigus, lassitudo et pulsus debilis oriuntur et contra rubor, calor, turgor vitalis, tonus universalis et pulsus fortis a stimulo. Insuper stimulos et contrastimulos sibimet ipsis opponimus, atque si mutua, quae effecere, symptomata removent, ipsius hujus rationis veritatem probant. Hac in re nequaquam praetermittenda sunt symptomata illa peculiaria, quae medicamenta in uno alterove organo vel systemate provocaverint. Medicamenti alicujus efficacitate hac ratione ferme perspecta, idem sive sit stimulus sive contrastimulus, secundum regulas propositas in morbis apte adhiberi potest. Sed semper effectus atque efficacitatis gradus et modus exacte a nobis observandi sunt. Postremum virtutibus medicamenti cujusdam cum aliorum remediorum jam cognitorum efficacitate comparatis atque ita natura ipsius plane perspecta, alterutri classi medicamentum illud adnumerari necesse est. Jam cum utriusque classis medicamenta variis iisque singularibus polleant virtutibus, nec non efficacitatis magnitudine inter se differant, factum est, ut a nonnullis viris doctis in aliquot ordines dividerentur. Id praecipue vero in contrastimulis tentatum est. Qua in re tamen alii aliam viam ingressi sunt; namque legimus de divisione medicamentorum in simplicia et composita, quorum ista fibram organicam tantum afficiant, haec vero simul excretiones moveant; porro de divisione in universalia ac localia; denique de divisione in directa atque indirecta.

Regnum minerale fere nonnisi contrastimulos gignit; vegetabile plures stimulos, animale plurimos procreat;

quod a processu vitali atque inde dependere videtur, quod corpora animalia plus azoti contineant. Seriem medicamentorum recentiori tempore propositam praebet haec tabula.

PRIMA CLASSIS.

Stimuli.

Acidum carbon.
Alcohol.
Ammonium.
Aether.
Caloricum.
Cortex chinae.
Cortex cinnamomi.
Camphora.
Electricitas.
Fibra organica.
Liquores fermentati.
Moschus.
Naphthae.
Olea essentialia, (menthae, etc.)
Opium.
Phosphor.
Sanguis.

SECUNDA CLASSIS.

Contrastimuli.

Acetosa.
Acida.
Aconitum.
Aqu. laurocer.
Aqu. amygd.
Aloë.
Alumen.
Ambra.
Angelica.
Angustura.
Antimonialia.
Arnica,
Arsenicum.
Asa foetida.
Balsama.
Belladonna.
Cantharides.
Coffea.
Chamomilla.
Cascarilla.
Cardamine prat.
Cassia.
Castoreum.
Centaureum.
Gummi kino.
Cichoreum.
Cicuta.
Colchicum.
Columbo.
Crescione.
Crocus.
Digitalis.
Dulcamara.
Enula.
Euphorbium.
Frigus.
Faba St. Ignatii.
Gentiana.
Gummata.
Gummi guttae.
Gratiola.
Guajacum.
Helleborus.
Hyosciamus.
Ialappa.
Iuniperus.
Ipecacuanha.
Kali (ejusque praeparata)
Liquiritia.
Mel.
Magnesia.
Manna.
Martialia.
Metalla omnia. (eorumque praep.)
Nicotiana.
Nux vomica.
Nux mochata.
Natrum (ejusq. praep.)
Nitrum et nitrata.
Olea vegetabilia recens expressa.
Piper.
Polygala.
Phellandrium.
Quassia.
Rheum.
Raphanus.
Ranunculus.
Rubia tinct.
Rhus.
Ruta.
Sambucus.
Saccharum.

Sabina.	Senna.	Taxus bacc.
Sassaparilla.	Sinapis.	Thea.
Salvia.	Serpentaria.	Tormentilla.
Sapo.	Solanum.	Terebinthina.
Scammonium.	Succi albi animales.	Trifolium fibrin.
Squilla.	Sulphur.	Uva ursi.
Scordium.	Solanum nigr.	Valeriana.
Scorconera.	Tamarindi.	Venaesectio.
Sedum.	Taraxacum.	

§. 15.

His generatim praemissis nonnulla in specie adjiciamus.

Organismus dum vivit, duas actiones sibi ipsis oppositas exhibet. Altera, stimulans, in sanguine ac fibra organica; altera, contrastimulans, in succis albis, qui vocantur, lympha, chylo, bile, succo gastrico, urina etc. est quaerenda. Quantitate sanguinis stimulantis in organismo per phlebotomiam imminuta, succi contrastimulantes albi praevalere incipiunt. Hanc ob rem venaesectio etiam ad contrastimulos referenda est. Itaque nonnulli hujus doctrinae asseclae et ipse Rasorius statuerunt, venaesectionem esse contrastimulum directum, Tommasinius contra et plurimi alii indirectum ducunt.

Ut substantiae causticae vel resolventes ita etiam omnes succi animales albi ad contrastimulos referendi sunt, imprimis vero succus gastricus atque entericus, quippe qui alimenta solvunt. Intelligitur ergo contrastimulante tantum succi gastrici virtute digestionem perfici, alimenta vero et potus spirituosos vim succi gastrici contrastimulantem cohibere et neutralisare. Id sane non fieret, si stimulorum modo succus gastricus ventriculum afficeret. Nihilosecius remedia amara et saponata pariter atque bilis, quae ejusdem est naturae, vim succi gastrici contrastimulantem augendo famem excitant. Urina

et faeces potestate contrastimulante incitant vesicam urinariam atque intestinum rectum ad sese contrahendum et ad istas evacuandas.

Jam ex iis, quae dicta sunt, elucet, carnes aliasque partes animales valde pallentes v. g. carnem vitulinam, gallinaceam, pisculentam, cerebrum atque adipem etc. ad efficacissimos contrastimulos; eas vero, quae profundissime rubent, ad maximos stimulos pertinere; quae res in diaetae regimine ponendo magni est momenti.

§. 16.

Omnia medicamenta contrastimulantia diathesin tantum stimuli peculiari ratione et modo frangere pollent, quod neque tamen venaesectionum laxantiumque modo fit, sed potius stimulum directe detrahendo sive irritabilitatem organismi imminuendo; idcirco etiam venaesectionem interdum possunt reddere superfluam. Evacuationes ad superiora aut inferiora tum demum efficere possunt, si primae eorum doses multa alimenta cocta vel incocta, quae si res ita est, contrastimulorum modo sese habent, in organis digestionis offendunt, eorumque potestatem contrastimulantem tantopere augent, ut ventriculus et intestina sese contrahere cogantur, aut medicamenti adhibiti efficacitas diatheseos facultatem, certum alicujus remedii gradum perferendi, quam facultatem vocant *tolerantiam*, superet. In utroque casu contrastimulus adhibitus potentior est quam praesens diathesis stimuli.

Antimonialia, imprimis vero tartarus stibiatus, vim emesin ciendi plane amittunt, ubi stimuli diathesin inveniunt. Tartarus stibiatus digestionem pro tempore cohibere et retardare videtur et quodammodo impedit, quominus lympha ac sanguis paretur, quare altera ex

parte absorptio augetur. Ejus potestas igitur ad totum organismum pertinet, sanguinis enim circuitum reddit liberiorem, faciliorem, tardioremque (R a s o r i u s pulsuum ictus post usum tartari emetici sexagesima horae parte ad quinquagenos decrescere observavit). Idem relativam praecipue pectoris atque abdominis plethoram aufert. Aptissimum remedium igitur saepius sese praebuit ad omnes quidem inflammationes fugandas, aliquot chronicis fortasse exceptis, maxime tamen pneumoniae, rheumatismo articulorum, encephalitidi, anginae, nonnullis ophthalmiis, acuto quoque hydrocephalo, phlebitidi acutae, adeoque aliquot nevrosibus v. g. tetano idiophatico atque choreae St. Viti acutae removendis inservit. Gastro-enteritis tartari stibiati usum nequaquam repudiat, sed ejus ope saepius jam fugari visa est. (Dosis gr. vj — ʒjjj in aqu. ℥vjjj — xjj cum oxymel. ℥j — jß quotidie. R a s o r i u s hydrothoraci aliquando drachmas sex quotidie per sex dies adhibuit, et aegrotus est sanatus. Etiam balneis, clysmatibus, fomentationibus tartarus emeticus, eadem magna dosi admixtus adhibetur).

Simili modo *mercurialia*, vitriola, plumbum, zincum etc. agunt. Ferrum in vasa et intestina abdominalia majorem habet vim, quare contra chronicas eorum inflammationes dandum est, etiam contra chlorosin, retentionem, suppressionem aliaque mensium vitia. Ad syphilidem curandam alia antisyphilitica magis commendanda sunt quam mercurialia, quippe quae diaeta solum hunc morbum hucusque sanaverint. His verbis neutiquam plane negatur, mercurialia sicuti sulphur atque alias res pro aptis remediis habendas esse ad materialem contagii causam, insecta quidem, delendam, sed haec peculiaris, quae inest, efficacitas hucusque haud satis cognita est. Quando mercurii usu ptyalismus vel hy-

drargyrosis oritur, morbi a diathesi stimuli pendentes, chemica hujus metalli decompositio in causa est, qua caloricum antea quasi captum liberatur, quo fit, ut affectio irritativa et diathesis propediem sequatur. Idem locum habet, causticis substantiis ac venenis, quae vocantur, sumtis. Venenum revera non exstat, nam quodcunque medicamentum diathesi non respondens vel in universum imprudenter adhibitum nocere potest et debet, permulta tamen venena caute propinata in morbis valde prosunt. Omnia extracta ex plantis narcoticis parata maxime frangunt unamquamque syphilidis speciem, dummodo majori, quam fieri solet, dosi ac per aliquod tempus dentur.

Aqua laurocerasi fere in quolibet morbo cum stimuli diathesi adhiberi potest, ejusque effectus phlebotomiae quodammodo aequiparandus est. (Dosis gutt. X — LXXX — C, omni bihorio.)

Aconiti extractum contra affectiones arthriticas, rheumaticas et syphiliticas ordinatur; morbosas tracheae bronchiorumque secretiones coercet; idem remedium Borda phthisin perfectam sanasse contendit. (Dosis gr. j — ʒjj omni bihorio.)

Belladonna contra hydrophobiam, prosopalgiam, pertussin et contra illos morbos, qui valerianae non cedunt, in usum vocatur. (Dosis gr. ¼ — gr. jj quaternis horis.)

Cicuta contra physconiam, phthisin, tabem mesentericam et scrophulosin. (Eadem dosis ut aconiti.)

Digitalis purpurea similem vim habet, quam tartarus emeticus, quae tamen magis ad cor et arterias videtur pertinere; itaque contra pneumonias, catarrhos et morbos inflammatorios vasorum lymphaticorum, arteriarum, nervorumque neurilematis ordinatur. (Dosis gr. vj — ʒjj quotidie.)

Gratiola in morbis vehementi stimuli diathesi praeditis vomitum vel evacuationes alvinas nunquam efficit; contra morbos dysentericos, febres intermittentes, maniam commendanda est. (Dosis gr. vj — ʒj quotidie.)

Gummi guttae contra synocham, febres intermittentes, arthritidem, rheumatismum, dysenteriam, convulsiones et alios morbos spasticos. (Dosis gr. vj — ℈jj — ʒj quotidie.)

Hyosciamus aliter quam opium corpus afficit, neque, uti multi existimarunt, huic simile sed potius oppositum est remedium; contra tussin inflammatoriam, spasticam, praecipue contra phthisin cum tussi sicca, angore et vago pectoris dolore. (Dosis gr. jj — ʒß omni bihorio.)

Phellandrium aquaticum contra phthisin in primo et secundo stadio, contra inflammationem membranarum mucosarum organa respirationis obducentium. (Dosis gr. x — ʒjjj omni bihorio.)

Valeriana contra omnes febres, hemicraniam, epilepsiam. *Ipecacuanha* contra peritonitidem, dysenteriam et alias abdominis inflammationes. *Nux vomica* et *faba St. Ignatii* contra inflammationes musculorum. *Arnica* in cerebrum magnam habet vim.

Diuretica Rasorius plane rejecit, nam morbos nonnisi diathesin stimuli tollendo frangunt, et hydrops aliis quoque contrastimulis sanari potest.

Quamquam plurimi statuerent, chinam veram tanquam medicamentum stimulans periodicum solummodo morborum typum removere posse, atque eam chinam, quae febrem intermittentem fugaverit, neutiquam veram fuisse asseverarent, quippe quae insuper raro occurrat; alii etiam contrastimulum eam ducunt, qua quidem de re permulti medici atque ipse Tommasinius hactenus

dissentiunt. Opii et reliquorum stimulorum doses magnae plerumque cum vino vetusto ordinantur.

§. 17.

Ubi alicujus morbi diathesis, medicamentorum ipsi respondentium efficacitas, ejusque gradus probe innotuerunt, usitata et periculosa via plurima eaque diversa et sibi dissimilia remedia inter se conjungendi utique rejicienda est. Namque licet corpora medica simul adhibita se invicem neque solvant ac mutent neque vere irrita reddant, tamen non impediri potest, quominus longe aliter organum vivum afficiant, quam exspectetur. Jam vero si se mutuo solvunt vel exstinguunt, novam materiam sive aliud quid sive plane nihil efficientem producunt. Itaque pulveris Doweri, laudani liquidi Sydenhamii etc. usus ferme non commendandus est. Nova doctrina utique jubet, unicum tantum remedium vehiculo aliquo indifferente exceptum vel solutum adhiberi. Haec vero methodus non tantum multo tutior et certior, sed etiam in medicamentis ordinandis multo simplicior et facilior revera est habenda, qualis quidem per longum tempus in votis fuit. Etsi ne id quidem respicere velimus, quod medicamenta sibi opposita conjunctione reddantur neutra, adeoque ea, quae ex eadem sunt classe, interdum se invicem solvere ac mutare possint; quodcunque tamen certo efficacitatis gradu utitur, qui, si fieri potest, praesenti diatheseos gradui semper respondeat necesse est. Caeterum bonum atque utile esset, si medicamenta secundum efficacitatis suae magnitudinem ad certum ordinem revocarentur.

§. 18.

Quum nova doctrina medicamenta multipliciter ac varie mixta respuat et simplicissima quaeque adhiberi jubeat,

omnino fieri debet, ut horum doses deinceps augeantur. A morbi initio tamen exigua tantum dosis esse solet, quae paulatim augenda est donec diatheseos vehementiae respondeat, quare non mirum est, tantas interdum doses sine periculo dari, quantas sine summo incommodo nullus unquam dari posse existimaverit. Eadem de causa etiam venena, quae appellantur, utpote efficacissima remedia, sine ulla dubitatione morbis adhibere possimus. Nobis autem persuasum est, medicamenta, quorum ab aliis paucula tantum adhibentur grana, ad unam aliquotve drachmas insigni cum utilitate adaugeri posse. Jam alii, qui videbant tantas medicamentorum doses dari atque optime perferri, dixerunt, haec ipsa in Italia haud bene parari; sed exploratione chemica usi, de eorum integritate non amplius dubitaverunt; alii vero contenderunt, tolerantiam seu organismi facultatem tantas doses perferendi, a consuetudine dependere, qualem quidem putabant potatores reddere idoneos ad majorem potus alicujus spirituosi quantitatem consumendam. At potator hanc facultatem sive indolentiam, si hoc vocabulo uti liceat, tunc demum acquirit, ubi potus abusu diathesis quodammodo facta est, ita ut communis vel exiguus stimulus non sentiatur, unde apparet, istam facultatem in potatoribus a diathesi tantum pendere. Idem in morbis quoque animadvertimus, ubi tolerantia eodem modo a diathesi solum dependeat necesse est, quum sub morbi finem tanta dosis non amplius perferatur, quantam in ejus acme dare licebat, et tolerantia una cum diathesi evanescat. Ad postremum monemus, unum alterumve medicamentum eligendum esse, prout diathesis postulat, idiosyncrasiae, constitutionis, vitae aegroti conditionis et quae sunt reliqua, ratione habita; simul tamen hic bene cavendum est,

ne specifica medicamentorum vis ad certum quoddam eligendum nos moveat.

Caput III.

Therapia.

§. 19.

Quum quae magis sunt generalia, jam ex antecedentibus eluceant, hoc caput paucis absolvere possumus. Vidimus supra, duas tantum diatheses sibi oppositas exsistere, omnes morbos uni alterive ipsarum esse subjectos, atque omnia medicamenta esse dividenda in duas primarias classes, quarum altera diathesin stimuli, altera contrastimuli potest perficere. Hinc jam patet, diathesin stimulis provocatam ejusque operationem contrastimulis tantum removendam et valetudinem ipsorum ope restituendam esse; diathesin vero contrastimulis factam atque omnia ejus symptomata stimulis tantum fuganda esse. Diatheseos curandae ratio igitur ex opposita stimuli ac contrastimuli potestate, qua organismus afficiebatur, deducenda, et in illis rebus efficacibus ad justam vicissitudinem redigendis inest, a qua vicissitudine vitalis organismi processus pendet. Diathesis stimuli duplici modo removeri potest: primum dum stimulorum quantitas imminuitur venaesectione, quippe quae pro indirecto contrastimulo est habenda, deinde dum contrastimulorum quantitas adaugetur directo ipsorum usu. Diathesis contrastimuli vero simplici modo stimulis ipsi accommodatis tollenda est, quod, si justo tempore fit, ob ejus lenitatem facile eveniet. Quum enim contrastimuli, succi albi, per totum corpus late diffusi sint, ex organismo pariter indi-

recto modo detrahi nequeunt, ac stimuli ex sanguine per venaesectionem removeri possunt.

§. 20.

Antequam diathesin tollere tentemus, ad morbi causas respiciendum est, quas, ut quam citissime removeamus, omnium primum nobis cordi esse debet. Si igitur causa aliqua occasionalis irritativam tantum affectionem induxerit, illa, operatione diathetica nondum effecta, apto aliquo remedio neutra reddenda, vel illico, quandoquidem justo tempore in auxilium vocamur, ad superiora vel ad inferiora vel quacunque fieri possit via e corpore removenda est. Hoc facto affectio irritativa una cum ipsius symptomatibus tollitur. Itaque contusioni ab initio medicamentum stimulans v. g. vinosum conducere solet, contrastimulantem doloris statum et inflammationem subsequentem avertendo. Etiam convulsiones aliaque mala vermibus vel venenis provocata decedunt, si fieri potest, ut hae causae justo tempore, priusquam diathesin excoluerint, removeantur. Quamquam affectio irritativa operationem aliquam diatheticam jam coeperit adducere, ad causas tamen imprimis respiciendum est, quoniam diathesis, quae imminui et pro tempore plane evanescere potest, causa non sublata, iterum recrudescit, omisso medicamento jam adhibito. Morbus venereus igitur non prius finitur nisi ejus contagio aptis medicamentis deleto atque e corpore fugato. Si contra causa removeri nequit, medicamentum aliquod diathesi respondens in usum vocandum est; cessante illa haec quoque desinit et morbus ipse sanitati cedit, quod plerumque in iis fit morbis, qui certo utuntur typo et certas percurrunt periodos.

§. 21.

Ut vero ipsam diathesin et dum praesens est, ejus magnitudinem seu gradum symptomatibus obscuris et incertis parum lucis spargentibus, dumtaxat perspiciamus, aptius erit, dare medicamentum aliquod, cujus potestas nobis notissima, quam adhibere venaesectionem, qua ii ut plurimum uti solent, qui inter contrastimulos directos censent eam numerandam esse. Qui vero phlebotomiam ducunt contrastimulum indirectum, contendunt, eam statui inflammatorio isti tantum convenire, qui in sanguinis irritantis abundantia sit positus, quoniam unamquamque aliam diathesin remedia sola frangere polleant. Venaesectio non in auxilium vocanda est, si diathesi stimuli aliquatenus saltem superandae haud sufficiat; si aegrotus debilitate vera captus atque enervatus sit, vel inflammatione chronica laboret; si denique timendum sit, ne morbus sive diathesis in oppositam transeat. Videtur itaque venaesectio, nisi prius quantitas sanguinis emittendi definiri queat, cum gravissima tum periculosissima. Venaesectione nihilosecius iterata, arteriarum systole interdum tam debilis fit, ut pulsuum ictus vix sentiantur, ac detrimentum, quod venaesectio inepte adhibita affert, nunquam vel difficile tantum resarciri possit. Multo igitur certius videtur, diathesin ejusve gradum perspicere medicamentorum ope, quorum effectum diligentissime examinavimus, quum haec directo modo diathesin indicent et minus quam venaesectiones noceant.

§. 22.

Enimvero hanc rem summi aestimandam esse contenditur, quoniam medicamentorum usu vera diatheseos natura quasi e tenebris protrahitur, qua cognita, apta medendi

ratio et remedii apti delectus facile intelligitur. Quod ut fieri possit opus est, ut phaenomena, quae medicamentum unumquodque in corpore sano provocet, accuratissime intellexerimus, eaque deinceps cum iis quae in aegrotantibus gignat, symptomatibus recte subtiliterque investigemus ponderemus et comparemus. Quum jam remedia unius ejusdemque classis, quatenus unum alterumve systema vel organon magis afficiant, varias ac diversas exhibeant vires, haec res ipsa diligentissime respicienda est. Itaque nausea, cardialgia, vomitus, dejectiones alvinae, urina copiosa, pulsus tardus irregularisque, vertigo, sopor, deliria etc. fiunt tantum, si medicamentum diatheseos qualitati vel quantitati vel parum vel plane non respondebat, si nimia ejus dosis vel si ultra justum tempus adhibebatur. Peculiaria symptomata, quae medici antiquiori scholae dediti dicebant medicamentis cujusdam classis v. g. emeticis, diaphoreticis effici, non generantur, nisi quoniam diatheseos naturae et magnitudini non respondeant. Itaque jam minima tartari emetici dosis juxta diathesin contrastimuli semper emesin imo hyperemesin provocat; major dosis contra ab homine sano bene perfertur; et fere maxima in morbo aliquo vehemente stimuli diathesi praedito saepe adhiberi potest, emesi non sequente. Quorum quidem symptomatum vel nullum occurrit, si peculiaris medicamenti potestas ipsiusque dosis diatheseos qualitati et quantitati apte respondet. Opium igitur sub his conditionibus datum neque vertiginem neque capitis dolorem efficit; item vinum toxicationi a morsu Colubris Natricis [1]) adhibitum ebrietatem non excitat.

---

1) Virus hujus serpentis secundum Mangilium vim contrastimulantem possidet.

Jam vero hujusmodi affectionibus per ineptum medicamentorum usum generatis, sufficit, nonnihil temporis ea omittere, imprimis si individuum ob suam constitutionem vel aetatem ad diathesin antecedenti oppositam maximopere inclinet.

§. 23.

Locali diatheseos mutatione in aliquo organo, quod medicamenta ob ejus majorem sensibilitatem vehementius afficiebant, orta, remedium pro tempore vel suspendendum vel ejus dosis saltem imminuenda est, quia hoc modo diathesis per totum corpus diffusa hoc organon iterum occupatura esset. Quae tamen symptomata localem diatheseos mutationem interdum indicantia num ad ipsum morbum pertineant, videndum est; qualia e. g. sunt: deliria, vertigo, sudor etc. in febre petechiali. Sub harum rerum conditione vero medicus novae methodi bene gnarus tantum abest, ut remedii jam adhibiti dosin imminuat, ut eam augeat. Unius diatheseos in alteram transitus per se ipsam, ut supra exposuimus, nunquam locum habet, nihilominus tamen diathesis in toto organismo per breve temporis intervallum pariter in contrariam mutari potest atque id in aliquo organo fit, si quidem medicamenti adhibiti potestas rapidius vel ejus maxima dosis vehementius totum organismum afficiat. Haec mutatio diatheseos in toto organismo raro quidem fit, ea vero facta, medicamentum paulisper suspendendum est, ut prior diathesis, cujus quasi semen in corpore remanet, iterum recrudescere possit. Itaque priori conditione quasi restituta vel sponte reversa, denuo remedium jam semel adhibitum, sed parce ab initio, detur necesse est. Interdum tamen fit, ut, si prior diathesis non redeat, medicamenta oppositae classis pro tempore in usum vocanda

sint, quem in finem semper ea eligenda sunt, quae volatiliter agere solent.

§. 24.

Quamvis morbus aliquis, qui semper a certa pendet diathesi, multis modis, quos enumerare superfluum ducimus, mutari atque diathesin quasi celare, et quamvis ipsa diathesis turbari atque adeo contrariae cessisse videri possit, tamen haec ipsa, quantulumcunque sese oculis nostris subtraxerit, per totum morbum eadem, seu sibimet ipsi similis manebit. Ex his etiam sequitur, sive morbus celeres sive tardos faciat progressus, diathesin ipsius ad acmen certo perventuram, jam vero inde, nisi morte scena claudatur, descensuram tandemque, aptis remediis adhibitis, sanitati cessuram esse. Quae cum ita sint, a morbi initio parvae medicamentorum doses sumendae sunt, atque eae, ut semper diathesi respondeant, magis magisque augeantur et eodem modo diminuantur; qua in re ut rectam viam persequamur, morbi symptomata ejusque tolerantia, quam vocant, semper respicienda sunt. Sin vero morbi secundum hanc methodum sanantur, stadium reconvalescentiae etiam per brevius tantum tempus utplurimum durat. Quum vero diatheseos natura in ipsa quoque reconvalescentia eadem, quae in morbo antecedente regnaret, maneat, necesse est, ut etiam in reconvalescentiae stadio eadem remedia, quae antea adhiberentur, minori tantum dosi retineantur, atque ex eadem causa ambulatio, corporis contentiones, victus animalis et vinum, minus quam quies, diaeta vegetabilis et potus aquosus commendandus est, ut sensus quasi debilitationis una cum diathesi fortasse adhuc restante dissipari possit. Interdum tamen in reconvalescentia quoque post morbos cum stimuli diathesi, medicamenta e stimulorum classe in

auxilium vocanda sunt, quandoquidem evacuationibus copiosioribus totus organismus aut organon aliqnod admodum debilitatum est. Sicuti vero diathesis stimuli difficilius tolli et plerumque non tantum per stadium reconvalescentiae, sed etiam parva quantitate longe amplius remanere solet; ita etiam per causam aliquam occasionalem facile recrudescit ac repente crescit; quare qui morbo ab hac diathesi pendente jam antea laborabant, vel in eundem denuo vel in alium eidem diathesi obuoxium facile incidunt. Reversiones morbi pariter atque morbi secundarii post eos in quibus stimuli diathesis regnabat, utplurimum facilius fieri, factique semper priore diathesi causis occultis nutrita uti solent, quamvis eorum symptomata eatenus plane ab antecedentibus diversa evenire possint, quatenus in uno alterove organo vel systemate denuo magis appareant; tales sunt obstructio intestinorum, exsudatio, hydrops, paresis secundaria, paralysis, convulsiones etc. Morbo primario causis excitantibus generato, vasa lymphatica ac venae quoque ab iisdem causis in organismo adhuc latentibus videntur prohiberi, quominus normali modo resorbeant et officiis generalibus, quae ipsis incumbunt, fungantur. E quibus causis unice illa mala secundaria exoriri solent, quae vero nisi diathesis praesens vehementem se exhibet, nec tam facile nec tam repente in exsudationem, suppurationem vel denique exulcerationem transire possunt; cujus rei documentum praebet morbus scrophulosus aliique, quos quotidie observare licet.

Ex omnibus, quae hactenus dicta sunt, luculenter apparet diatheseos stimuli et diuturnitas et pertinacia; itaque medicus sub his conditionibus in longiori, quam opus esse fortasse videatur, contrastimulorum usu perseverare et nunquam per ullum symptoma fortuitum, nisi diatheseos fines esse excessos manifestum sit, deterreri

debet, quominus remedii adhibiti dosin paulatim eo usque augeat, quo dumtaxat possit perferri.

Quod hucusque de diathesi stimuli curanda dictum est, etiam ad diathesin contrastimuli pertinet, exceptis tamen morbis secundariis, qui hanc diathesin sequi nunquam solent. Diathesis contrastimuli jam ab initio efficacium medicamentorum usum poscit, quoniam sub ea vis vitalis rapide nonnunquam decrescit eamque ob causam ipsa diathesis breve tantum tempus durare potest, sed stimulis recte ac circumspecte adhibitis facilius quoque cedit quam diathesis opposita. Per stadium reconvalescentiae ac contra iteratos horum morborum impetus eadem, quae morbo primario opponebantur, medicamenta ordinanda sunt, uti jam supra, cum de stimuli diathesi esset sermo, exposuimus.

§. 25.

Denique medicamentorum, quae a Rasorio, Tommasinio aliisque totis morborum classibus et vero etiam singulis morbis imprimis opposita sunt et nunc opponuntur, brevis hic sequatur commemoratio.

In *inflammationibus*, sanguine corpori detracto, dantur tartarus stibiatus, quod remedium pneumoniis adhibitum prae ceteris laudandum est, flores zinci, kermes mineralis, et similia remedia metallica, aqua laurocerasi, digitalis purpurea; in *febribus inflammatoriis* jalappa, gummi guttae, decocta amara etc.; in *exanthematicis morbis* vehementer corpus vellicantibus, praeter medicamenta nominata, simplex emulsio vel mel aqua exceptum. *Rheumatismo* prosperrime tartarus emeticus adhibetur. — Plurimi aegroti, qui his morbis laboraverunt, talis medicinae administratione sanati sunt.

Febribus intermittentibus, plerumque quotidianis ter-

tianisque opponuntur tartarus emeticus, gummi guttae, myrrha, medicamenta amara, nec non superius commemorata. — Saepenumero his remediis morbi isti fugati sunt, subinde vero interdum redierunt.

Efflorescentiis chronicis e. g. herpeti, tineae capitis, pellagrae etc. adhibentur flores sulphuris, acida mineralia, gummi guttae, tartarus stibiatus, decocta amara et similia. — Quae multis profuerunt, nonnunquam tamen mala intacta reliquerunt.

Profluviorum exitus fuit valde diversus, at omnes, qui dysenteria laborabant et gummi guttae sumebant, mortui sunt. Praeterea dantur tartarus stibiatus, acida mineralia, gummi guttae, decocta amara etc. in diarrhoea, blennorrhoea diversorum organorum atque in catarrho chronico cum sputis copiosis; item tartarus stibiatus in haemoptysi, et flores zinci in cholera videntur aegrotis profuisse.

Cachexiae ancipite tantum exitu gavisae sunt. Propinantur nitrum, tartarus stibiatus, gummi guttae et potus acidulus in hydropibus, imprimis in hydrothorace; extractum aconiti, gummi guttae in syphilide; flores zinci in scrophulosi; tartarus emeticus, gummi guttae in arthritide et rheumatismo chronico; tartarus stibiatus, digitalis et potus acidulus in phthisi.

Neuralgiae et morbi spasmodici eodem modo imprimis vero per flores zinci et gummi guttae partim sublati sunt partim non desierunt.

Morbis a diathesi contrastimuli pendentibus v. g. febribus perniciosis, plerumque opium, vinum et reliqua remedia stimulantia adhibita sunt.

§. 26.

Morborum, stricte secundum novam doctrinam Italicam curatorum historiae legi possunt in aliquot

operibus [1]). Etiam peripneumoniarum exempla, quibus tartarus stibiatus in magna dosi adhibitus est, proposuit B. Danvinius [2]). Bayleus [3]) tradidit exempla, in quibus unice tartarus stibiatus adhibitus est a nonnullis medicis Francogallicis, quorum brevis hic sequatur enumeratio: Peschierus sine venaesectione omnes pneumonias, unica excepta, se sanasse gloriatur. T. H. Laennecius sen. fugavit pneumonias 55 ex 57; rheumatismos articulorum 8 ex 13, in reliquis quinque istud remedium se praebebat anceps; arachnitidem 1; hydrocephalos acutos 3; phlebitidem 1; choreas St. Viti 3; anginas 2; atque apoplexias 6 ex 11. A. Laennecius pneumonias 37 ex 40; tetanos idiopathicos 2. Bangius pneumonias 43 ex 45. Honoréus rheumatismos articulorum 4 ex 5. Deourmelius rheumatismos articulorum 13 ex 15. Recamierus catarrhos pulmonum 4. Fontaneilles icterum 1.

Ut lectores benevoli videant, quotnam ex aegrotis secundum hanc methodum tractatis salutem recuperaverint, quotque perierint, comparationis causa duas adjecimus tabulas, quarum primam Rasorius in opusculo suo [4])

---

1) Ozanam Cenni sulla teoria e la practica della dottrina medica del constrostimolo etc. Milano 1816; e quibus exempla referunt Otto et Wagner in suis operibus. — Rasori dell' azione della digitale nel sistema vivente.

2) Mémoire sur l'emploi du tartre stibié à hautes doses dans la péripneumonie. Paris, 1831. pag. 187; quae in linguam germanicam translata leguntur in: *Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen 1832, Bd. 15, Th. 1, S. 1 — 79.*

3) Bibliothèque de thérapeutique. Tom. premier, pag. 199 — 312, Paris 1828.

4) Delle peripneumonie inflammatorie, e del curarle principalmente col tartaro stibiato.

proposuit, in qua ii aegroti enumerantur, quibus peripneumonia laborantibus venaesectio atque tartarus emeticus tantum adhibitus est; secundam tabulam Tommasinius [1]) composuit, in qua aegrotos diversis morbis laborantes et secundum novam doctrinam tractatos enumerat.

---

1) Opere minor. Tomo II., p. 49. Bologna 1823. Sive: Prospetto de' risultamenti ottenuti nella clinica medica della pontifica universita' di Bologna.

PERIPNEUMONIAE TRACTATAE

IN NOSOCOMIO CIVILI AC MILITARI MEDIOLANENSI

per annos 1808, 9 et 10.

Nosocomium civile. Summa			*Nosocomium militare.* Summa		
venaesectionum.	aegrotorum		venaesectionum.	aegrotorum	
	sanatorum.	mortuorum		sanatorum.	mortuorum
"	61	9	"	15	"
1	102	6	1	35	1
2	100	5	2	34	1
3	66	13	3	17	2
4	47	16	4	15	1
5	54	19	5	15	2
6	16	23	6	4	2
7	24	13	7	8	2
8	17	15	8	"	1
9	10	11	9	6	3
10	2	4	10	2	3
11	1	5	11	1	2
12	"	1	12	1	4
13	3	2	13	"	1
14	1	4	14	1	1
15	"	1			
16	1	"			
	505	147		154	26
	652			180	

Mortalitas.

22 90/163 p. c.	14 4/9 p. c.

In nosocomium civile translati sunt multi, qui jam antea malis pectoris chronicis et acutis laboraverant; qui vero militari sunt excepti, plerumque corporis robusti erant, unde haec mortalitatis differentia in utroque nosocomio evenit.

Cfr. Gallward in, Voy. méd. en Allemagne 2e. partie p. 60.

MORBI TRACTATI.

IN SCHOLA CLINICA BONONIENSI

per annos 1816, 17 et 18.

		re-cepti.	mor-tui.	mortui p. c.
1	Inflammationes acutae, quarum 15 rheumaticae et 8 exanthematicae........	209	21	10 $^{1}/_{20,9}$
2	Inflammationes chronicae, quarum 15 hydropicae a lenta phlogosi pendentes......	38	5	13 $^{1}/_{6,33}$
3	Febres inflammatoriae et catarrhales	35	—	——
4	Synochus, febres nervosae, typhi..........	57	4	7 $^{1}/_{57}$
5	Affectiones acutae a stimulorum inopia dependentes.	4	—	——
6	Febres intermittentes simplices et cum physconia complicatae..........................	45	—	——
7	Haemorrhagiae	17	1	5 $^{1}/_{1,133}$
8	Spasmi et convulsiones	18	1	5 $^{1}/_{1,2}$
9	Affectiones asthmaticae	4	—	——
10	Torpores, hemiplegiae et apoplexiae......	10	1	10
11	Affectiones irritativae manifestae...........	10	—	——
12	Hydrophobiae.	2	2	100
13	Pellagra	1	—	——
14	Vitia organica (*Strumentali*)................	5	—	——
	Aegrotorum sanabilium numerus...........	453	35	7 $^{1}/_{1,2}$ p. c.
15	Aegroti insanabiles et moribundi...........	15	15	100
	Summa	468	50	10 $^{30}/_{117}$ p. c.

SECTIO TERTIA.

De systematibus medicinae in universum; comparatio systematum quae nostra aetate in lucem prodierunt, auctoribus Rasorio, Broussaisio et Hahnemanno.

Comparatione instituta inter historiam tum totius terrarum orbis, singularum regionum populorumque aeque ac artis medicae, quam si accuratissime et prudenter persequimur, luculenter apparet, non solum coelum ac terram, sed etiam hominum naturam et indolem resque ab ipsis gestas haud exiguam omni tempore in medicinae formam ac progressus habuisse vim. Namque non solum superstitiosa quaedam religio rudes adeo populos impulit, ut terram, solem, lunam ac sidera tanquam numina colerent, a quibus vita et res hominum penderent, verum philosophi quidam antiquiores in argumentatione sua eo sunt progressi, ut nihil in universo mundo esse existimarent, quin in res humanas vim haberet. Itaque medici etiam, praecipue inter Graecos, Romanos et Arabes, in morborum natura et causis enucleandis ad coelum oculos converterunt, quidque sol, luna et reliqua sidera ad animi aeque ac corporis valetudinem efficiendam polleant, eruere studuerunt. Sed mittamus veterum de his rebus opinio-

nes et ad nostra tempora perveniamus, quibus praecipue a Mesmero ejusque discipulis haec res ita pertractata est, ut doctrina inde condita ab inventore *Mesmerismus* nuncuparetur; cui quidem etiamsi non omnem denegare possumus fidem, multa tamen confitendum est inesse vana et irrita.

Porro hic meminisse liceat imponderabilium, caloris, lucis, materiae electricae, quae per aërem diffusa quibuslibet causis et quolibet modo mutantur, ita ut modo summum inter ea aequilibrium obversari videatur, modo sublato illo, vel inter se luctari et pugnare, modo passim abundare, modo parce distributa ac fere desiderari videantur. Jam si influxibus chemicis, electro-chemicis vel magneticis sive in intima terra sive in ejus superficie vel quadam superficiei regione aliquantulum saltem corrumpitur atmosphaera; si alimenta, animalia sub terra, humi, in aqua aut aëre viventes, si plantae et aquae ipsae, quae peculiarem in organismum humanum vivum exercent vim; si denique toti populi sive per has sive per illas causas, sive per vestimenta, commercium, consuetudinem, morum pravitatem, luxuriam, bella, seditiones civiles, vitae rationem perversam et quae sunt reliqua male afficiuntur et corrumpuntur; necesse est, pandemicus quidam genius in hominis organisatione superiore vel inferiore, in functionibus animi corporisve ab his ipsis causis provocetur, qui semel provocatus, cum ejusmodi causae plerumque diutius perdurare et agere soleant, per aliquot decennia grassari possit. Talis vero genius corporis humani vegetationem, irritabilitatem aut sensibilitatem imprimis occupat, quo fit, ut una alterave prae caeteris laboret et pro majori sua excitatione reliquis praevaleat, brevique caeterorum systematum functiones antagonistico quasi modo labefactet. Nihilominus tamen hic genius duo systemata si-

mul corripere potest. Quum vero systema, quod semel affectum est, capacius fiat seu majorem proclivitatem (praedispositionem) ad causas occasionales excipiendas acquirat, plurimi morbi imprimis vero epidemiae et lues pandemicae in hoc ipsum systema inducuntur et in isto focum suum quaerunt et inveniunt. Ejusmodi epidemiae eo citius atque eo latius per populos grassantur, quo magis unum alterumve systema ab illo genio afficitur, quo fit, ut ipsis maxime pateat; et quo latius haec ipsa affectio per illos serpit, eo acutiorem in singulis hominibus sequuntur decursum, quo superius affectum est systema; atque eo longius homines opprimunt, quo graviores, saeviores ac pertinaciores earum sunt causae. Istarum epidemiarum symptomata ex eo systemate, quod genius ille corripuit, potissimum prodeunt et explicanda sunt; itemque artis praesidia tanto plus valent, quo magis primordiis morbi accommodantur.

Ut autem quae supra diximus, probe appareant, liceat nunc istas tres epidemias maximas, quae longe lateque per Europam grassatae fere in omnium ore sunt, paucis aestimare verbis. Bellum Peloponnesiacum genuit saeculo quinto a. Ch. n. pestem Atheniensem, cujus natura fuit putrido-inflammatoria. Causae epidemicae vix explicandae, fortasse cosmicae, saeculo sexto p. Ch. n. pestem universalem procreaverunt, quae primum putridam, serius vero, quum epidemia variolarum, quae in idem fere incidit tempus, simili modo terminaretur, magis subinflammatoriam prae se tulit naturam. Post tempestates perpetuas et vehementes terrae motus saeculo decimo apparuit epidemia, quam vulgo mortem nigram vocabant, praecipue charactere inflammatorio-nervoso conspicua.

Jam vero non tantum ab ejusmodi epidemiis, quae vel totum terrarum orbem vel permagnam ejus partem vel

aliquot tantum provincias devastarunt, sed imprimis etiam ab illo pandemico genio medicinae quoque progressus et varia systemata videntur dependere. Itaque vegetatione ab illo genio correpta, judicamus appetitum naturalem (instinctum) praevalere; irritabilitate vero, animum; denique mentem, correpta sensibilitate; quippe systemata illa dictis facultatibus respondere videantur. Proinde contendere licet, literas in universum, ergo medicinam quoque, praevalente irritabilitate, laetos et magnos facturas esse progressus, eas vero longe magis excoli, sensibilitate principatum tenente, qua animus et mens maxime et prae reliquis agitantur. Quae quidem demonstrari videntur et affirmari tribus illis magnis epidemiis.

Enimvero ante primae epidemiae impetum, ars medica erat valde exilis atque arctis circumscripta limitibus; at inter ipsam illam pestem, cujus natura magis inflammatoria quam putrida esset, inde in irritabilitate praecipue sedem haberet atque maxime animorum suscitationem reliquisse videretur, ars medica imprimis ab Hippocrate, medico aeque ac philosopho, exculta et pro illo tempore sufficienter explanata est. Epidemia secunda magis putridam naturam exhibebat, eademque, cum iste genius maxime in vegetatione versaretur, hac ipsa de causa longissime saeviit praevalente appetitu naturali. Quare non mirum est, per totum hoc tempus, jacente quasi sensibilitate, medicinam nullos vel exiguos tantum progressus fecisse. Quum autem genio mutato, etiam indoles morborum, qui coepissent inflammatorio - nervosam induere, paulatim mutaretur, jam tertia epidemia, tanquam crisis temporis antecedentis habenda, caput protulit. Novo morborum genio tunc temporis et postea quoque regnante irritabilitatem et sensibilitatem maxime correptas fuisse, jam eo manifestum est, quod haec tertia epidemia in his ipsis

radices egerit. Innumeri homines ea perierunt. Per eundem tamen genium, qui etiam superata hac epidemia diutissime irritabilitatem, ergo etiam animum videtur occupasse, factum est, ut non solum nova et quasi fortior proles hominum gigneretur, sed etiam alacrior in Europa vita literarumque amor sese in dies magis manifestaret. Permultae literarum academiae conditae; permultae inventiones et artes, e quibus artem typographicam nominasse sufficiat, excogitatae; Lutherus disciplinae Christianae emendationem audacter aeque ac feliciter peregit; et in arte medica Paracelsus exstitit, clarissimus recentiori tempore medicinae reformator, cujus Hippocrates fuerat antiquiori aetate auctor et fundator. Jam vero infitias nemo ibit, in his duobus viris eorumque dictis gestisque animum imprimis praecelluisse, cujus etiam imperium post utrumque virum per longius tempus obtinuisse videtur. Nam revera, et pandemici genii tunc temporis regnantis et artis medicae ratione habita, cum illud tempus quod inter Hippocratem et Galenum, tum id quod inter Paracelsum et Fr. Hoffmannum intercessit, dumtaxat sibi respondent et summa inter se consentiunt similitudine; quam ob rem perinde systemata medicinae, quae utriusque aetatis medici persecuti sunt, quodammodo sibi invicem respondent. Comparari etenim bene potest antiquior schola dogmatica cum recentiori chemica atque ea, quam Sylvius condidit; methodica cum iatromechanica; empirica cum empirica serioris aetatis; pneumatica cum Stahliana; eclecticorum seu episyntheticorum schola cum Boerhaaviana. Uti vero Galenus novam quasi fundavit medicinam, quae per longius tempus valuit, ita inde a Fr. Hoffmanno ars medica potissimum hujus principiis et commentis nitebatur. Recentissima tamen aetate, cum pandemicus genius, qui

jam ex longiori inde tempore in Europa inflammatorius esset, et in novissima epidemia, cholera, magis inflammatorio-nervosum sese exhiberet, etiam in irritabilitate ac sensibilitate magis versetur, quo fit, ut animus aeque ac mens praevaleant, atque cum in universum gens humana ad maturitatem, ut ita dicam, sensim sensimque magis perducatur; nostra quoque ars maxime physiologia, quae nunc in dies magis magisque excolitur, adjuta, ad summum fastigium tendit, a quo tamen etiamnum satis abest.

Quapropter originem et inventionem systematum novorum medicinae non fortuitam esse, sed potius a pandemico quodam genio et a constitutione morborum inde exorta dependere, admodum verosimile est. Quod praeter multa alia Rasorii quoque doctrina satis probat, quae, quod in prima hujus scriptiunculae sectione exposuimus, ab epidemia Genuensi originem habuit. Idem de doctrina in Francogallia nunc temporis regnante, a Broussaisio inventa et physiologica dicta, valet; in quam in expeditione Hispanica, a Napoleone suscepta, incidisse videtur auctor.

Utraque vero morbos curandi ratio, cui tertia etiam Hahnemanni accedit, artificialis, atque eapropter rationali et naturali opposita esse videtur. Nam medicina rationalis nonnisi indicia et rationem persequitur, quam vis naturae medicatrix vel experientia nobis obtrudit; viri contra illi theoremata quaedam sua naturae obtrudere videntur. Rasorius medicamenta morbo opposita, Hahnemannus morbo ipsi similia, Broussaisius denique heterogenea (ejus praesidia enim continentur sanguinis detractione et plurimum methodo derivante) in morbis curandis danda esse suadent. Itaque jure primum systema *Antipathia* sive *Enantiopathia* no-

minari potest, secundum *Homöopathia* jam dicitur, ac tertium denique *Allopathia* fortasse appellari posset. Haec tria systemata igitur si quis amplectatur et, ubi res poposcerit, additis insuper reliquis medicinae praesidiis, quae ab una alterave illarum methodorum plus minusve vel plane exclusa sunt, recte adhibeat, is demum nobis rationali, quam vocant, via videtur incedere. Quae quidem via perperam vulgo et adeo dolose a medicis homöopathicis vocatur Allopathia; quo verbo, in his paginis a nobis usurpato, Broussaisii doctrinam solam significare volumus.

Singula vero illa tria systemata, quia notione irritationis tantum nituntur, vim naturae medicatricem haud satis respiciunt. Medicus his doctrinis deditus naturae non minister sed gubernator esse sibi videtur. Rasorius et Broussaisius illas Brownii ideas generales de vita et morbis, magis excultas doctrinae suae supposuerunt, attamen eo a Brownio plane discesserunt, quod hic plurimos morbos pro asthenicis habendos esse voluit, quos illi pro sthenicis sive inflammatoriis habent. Rasorius physiologicas sui systematis sententias in universum magis ad Darwinii Zoonomiam conformavit, atque illam ideam de antiperistaltico vasorum motu, quem dixit in febribus locum habere, ex ipsa Zoonomia depromsit. Broussaisii doctrina seu Allopathia, magis physiologicae Anatomiae a Bichato conditae, superstructa est. Vera quaedam praecepta, quae Homöopathia continentur, jam in veterum medicorum operibus inveniuntur. Allopathia et Homöopathia morbi stadiorum nullam habent rationem. Morbi symptomata Enantiopathia atque Allopathia rem minoris momenti aestimant, sed ad ejus naturam tantum seu diathesin attendunt; Homöopathia contra ea censet gravissima,

atque in morbis curandis ad ipsa maxime respicit. Allopathia statuit, nullum morbum exsistere universalem, sed omnes e malis topicis per sympathiam exire; Enantiopathia vero contendit, diathesin morbi, affectione irritativa excepta, per totum corpus extendi; utraque proinde docet, inflammationem naturam suam nunquam mutare. Enantiopathia contagium pro insecto habet, quod extrinsecus corpori afferatur; reliquae ambae doctrinae vero id quidem negant, contendunt tamen, si acari in scabie inveniantur, ipsos ex eo tantum corpore, cui insunt, generari. Enantiopathia docet, febres gastricas, biliosas etc. hepatis inflammatione ali, quod Allopathiae respondet, quae hujusmodi atque fere omnis febris causam quaerit in gastro-enteritide. Enantiopathia atque Allopathia diligenter distinguunt inter falsam et veram debilitatem, illa secundum utramque doctrinam ex stimulorum abundantia, haec vero ex eorum inopia oritur. Homöopathia omnes morbos chronicos a latente quodam miasmate seu contagio, e. g. psora; Enantiopathia vero a phlogosi lenta alicujus organi, in quo morbus sedem suam imprimis habeat; et Allopathia prae caeteris a gastro-enteritide dependere contendit. Enantiopathia crises pro medicamentorum justo fortius adhibitorum effectu; Allopathia vero pro metastasi, a nobiliori organo ad organum periphericum ac praecipue ad excernens facta, habet; Homöopathia denique eas tanquam morbi symptomata tantum aestimat, et omnia tria systemata crises parvi vel plane nihili faciunt. Quodvis eorum statuit, reconvalescentiam, morbis per suam methodum superatis, esse brevissimam. Allopathia jubet medicum, sanguinem fere ubique detrahere; Enantiopathia sanguinis detractionem utplurimum in plethora tantum permittit; et Homöopathia eam ubique plane rejicit. Allopathia ve-

nenum, quod ita vocatur, substantiam aestimat, quae vitam directe exstinguit; duo reliqua systemata remedia efficacissima ducunt venena. Enantiopathia et Homöopathia docent, medicamenta aliquem effectum primarium et paulo post secundarium in morbis curandis provocare. Homöopathia tantum remedia statuit specifica. Enantiopathia et Homöopathia simplex nonnisi medicamentum morbis adhibendum, et illa quidem paulatim maximam ejus dosin, haec vero minimam dandam esse suadet; et recentiori tempore Hahnemannus haud raro remedium non deglutitione, sed solo olfactu organismo offerendum esse praecipit. Enantiopathia omnium medicamentorum experimenta primum in bestiis et hominibus sanis, ac postea demum in aegrotis, Homöopathia vero in hominibus sanis tantum facienda esse vult; quam quidem methodum remediorum effectus cognoscendi, magis profecto ab iis quoque excolendam esse censeo, qui nulli horum systematum addicti, veram medicinam rationalem prosequuntur. —